

HERMANNI DE LERBEKE

CHRONICON

EPISCOPORVM MINDENSIVM,

Ex MSto.

[ Ad initium hujus Chronici Manuscripti verba sequentia erant notata.]

**H**ermannus de Lerbeke Frater Ordinis Prædicatorum domus Mindensis edidit hanc Coroniam usque ad tempus sua vite tempore Ottonis Episcopi Mindensis de Monte: post mortem suam aliquot alii compleverunt, ut Hinricus Tribbe, E. Hevece &c. Item duo folia plus sunt in principio apud Prædicatores in eorum Coronica, quam hic, prope sex blede, & ibidem sunt scripta omnes Episcopatus, quos Karlus fundavit, & de gestis ejus hic omissa. Ista tamen invenies in Coronica Vestfalia, item in alio libro etiam in Choro posito.

EPISCOPI MINDENSES.

Hercubertus primus	Dethmarus	XXVII
Hadwerdus II	Henricus II.	XXVIII
Theodericus III	Conradus	XXIX
Vulfarius IV	Wilhelmus	XXX
Drogo V	Johannes	XXXI
Adelbertus VI	Wedekindus	XXXII
Bernharius VII	Cono	XXXIII
Ludarius VIII	Otto	XXXIV
Ebergifus IX	Vulquinus	XXXV
Helmwardus X	Conradus II.	XXXVI
Lantwardus XI	Ludolfus	XXXVII
Milo XII	Godfridus	XXXIIX
Ramwerdus XIII	Lodowicus	XXXIX
Theodericus XIV	Gerhardus	XL
Sigebertus XV	Theodericus III.	XLI
Bruno XVI	Gherhardus II.	XLII
Engelbertus XVII	Otto II.	XLIII
Reynardus XVIII	Wedekindus II.	XLIV
Folmarus XIX	Otto III.	XLV
Odalricus XX	Marquardus	XLVI
Gotfcalcus XXI	Wilkinus	XLVII
Witelus XXII	Otto IV.	XLIIIX
Sigewardus XXIII	Wilbrandus	XLIX.
Henricus I. XXIV	Albertus de Hoya	L (*)
Wernerus XXV	Henricus III. de Schouwenburg	LI
Anno XXVI	Franciscus de Brunswych	LII (**)

U 3

Annis

(\*) In Alberto de Hoya desinit Lerbeckius Maderianus.

(\*\*) Hic Franciscus recentiori manu in nostro Codice adscriptus est.



Annis Christi octingentis,  
 Sed bis decem ex hiis demptis  
 Templum primum conditur  
 Petri Cephæ ad honorem:  
 Error gentis in decorem  
 Fidei convertitur.  
 Locum Minden nominatum  
 Per gentilem incastratum  
 Wedekindum nomine.  
 Hic per Karlum captivatus,  
 Per Leonem baptizatus  
 Sacro fontis flumine.  
 Karlus fundans hunc effecit  
 Contra gentes, quas eiecit,  
 Nominatos Saxones.  
 Leo sacrans tutum fecit  
 Hercubertum, & præfecit  
 Contra nequam Dæmones.  
 Fac, o Deus, ut salventur  
 Gens & locus, nec timentur  
 Hostium infidiæ,  
 Permanfurus in æternum,  
 Nec trahatur in infernum  
 Dæmonum malitia.

Antistes quivis Myndenfes noscere fivis  
 Quomodo dicatur, hoc in libro recitatur.

## I.

**P**rædictis ergo omnibus bene ordinatis, sive per sanctum *Karolum* sive per *Wedekindum*,  
 Vir venerandus *Hercumbertus* Myndensi ecclesiæ primus pastor & præful ydoneus præ-  
 ficitur & designatur; Hic quantum temporis dictam ecclesiam rexerit, vel ubi sepul-  
 tus sit, scriptum non inveni. In hoc enim, sicut in plerisque aliis, clerus illiustem-  
 poris & eorum successores culpabiles non mediocriter heu reperiuntur. *Hujus diei transitus*  
*sive anniversarius in profesto Primi & Feliciani* peragi consuevit. Versus:

Hic doctor prudens ad opus sublime vocatus  
 De requie mentis, ut plurima corda lucretur,  
 Auctorique Deo messis sæcunda paretur.

Nam hic Præful honoratur  
 Minidensis, qui vocatur,  
 Dignitate palli  
 Quod bene rationale  
 Vocatur & non male.  
 Nam trini Episcopi  
 Tantum isto decorantur,  
 Per quem recte venerantur  
 Locus, gens & clerici.

## II.

**H***Adwardus* Episcopus Myndensis custodivit seipsum sollicitè & gregem sibi commissum  
 in omni cura & sanctitate. Vers.

Ecclesiæ muris hortum complectitur iste,  
 Et spatiantur oves absque pavore lupi.

Quamvis hic Præful venerandus sanctissimæ & conversationis honestæ indubitanter fuit,  
 tamen penitus nil dignum memoria inveni. Quo tempore ecclesiam ad regendum intrave-  
 rat, vel quantum temporis eandem rexerat, scriptum minime inveni, nec possibile fuit, ab  
 aliquo investigari. A memoria viventium dudum recessit & transivit, quia quidquid scri-  
 pturæ



pturæ non commendatur, quasi umbra & nubes transit & evolat. Et quia primi ecclesiarum fundatores & pastores, & singulariter præfulatus ministerio & apice exaltati sanctissimi absque dubio erant Imperatores, qui erant Dei & justitiæ zelantes legem, manus suas ab omnium munere excutientes, personarum acceptationes non respicientes, Episcopatus in Theutoniæ partibus personis ydoneis de diversis mundi nationibus, videlicet beato *Bonifacio* & *Swiberto* de Britannia, *Wilhado* de Anglia, *Anfchario* de Corbeya & *Godebaro* & *Dethmaro* monachis de Bavaria, solo Dei intuitu salutem populorum commiserunt. Et quia justorum lux semita, quasi spendens, crescens usque in perfectum diem; De bono hii in melius semper euntes aspirabant, & ut multis possent prodesse, doctrinæ Apostoli I. Thim. III. inhærentes, episcopatum desiderabant. Circa tempora istius, *corpus sancti Viti* de Parisius in monasterium *Corbeyam Westphaliæ* transfertur; Unde Franci testati sunt hujusmodi prælagium contigisse; Quia ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata est. Anno vero sequenti, hoc est **IX<sup>C</sup>XXXVII (\*)** *corpus sancti Liborii Episcopi Cenomanensis ecclesiæ* in confinibus Thuronenfis ecclesiæ, ubi *B. Martinus* fuit Episcopus *Paderbornæ* translatus est. Item Papa *Gregorius IV* de consensu *Lodovici pii festum omnium Sanctorum* in partibus Germaniæ & Franciæ instituit. Transivit ad dominum *Venerandus Præful Hadwerdus* ipso die Sanctæ Virginis *Eufemiæ*, quod est octava *Gorgonii*. Sed quantum temporis hic ecclesiam sibi commissam rexerit, & ubi sepultus sit, scriptum non inveni.

## III.

**Theodericus** vel **Tbidericus** Episcopus III. Hic monasterium *canonicarum secularium apud Wunstorpe*, quæ olim *Wannendorpe*, id est villa amœnitatis nuncupata, in honorem Sanctorum *mar-tyrum Cosmæ & Damiani*, diversis sanctorum pignoribus, quæ de partibus Italiæ una cum germano suo *Erpone* presbytero devoto in mulo adducentes, decorando fundavit. Hic *Remberium Bremensem Episcopum* jussu Imperatoris, ætumo, *Lodovici pii* una cum *Adalgario Corbeiensi Abbate* in quadam Cronica me legisse inveni. Anno ergo Domini **DCCC LXXIII** indictione VII *Coloniæ* celebrato synodo ad dedicationem majoris ecclesiæ à tribus Theutoniæ metropolitanis, nocte præcedenti cum dedicari deberet, auditæ sunt malignorum spirituum voces inter se dolentium & querentium se à possessis diu sedibus expelli debere. Postea verò iterum consilio Synodali anno sequenti ibidem celebrato & hic Præful *venerandus* interfuit, quia vir consilii spiritu & prudentiæ non mediocriter insignitus, ut apud *sanctum Cumbertum* in *Coloniæ* in quodam libro inveni. Item in consecratione ecclesiæ *Hildensemensis* Anno Christi **DCCC LXXII** Indictione V tempore *Alfridi Episcopi Hildensemensis* interfuisse legitur, ut in privilegiis monasterii *diæli Lammespringi* inveni. Eodem tempore *Ludovici pii Hunnorum sevitia* seu paganorum, omnes terras Christianorum in partibus Saxonie & Westphaliæ, cæterisque terris circumjacentibus, cædibus, spoliis & incendiis, devastabant. Hic vir Dei præful *Theodericus* tanquam adletha gloriosus super firmam petram, quæ Christus est, fundatus, vicem Christiani populi dolens, accinctus gladio cum multis catholicis principibus videlicet *Drogone Episcopo Osnaburgensis*, *Dudone Paderbornensis*, *Anfred Trajeclensis*, *Ramberto Hamburgensis*, *Ernulfo Verdensis Ecclesiæ*, cum tribus ducibus, tredecim comitibus multisque aliis fidelibus pro fide & patriæ defensione stantes pugnauerunt, Domino tandem permittente, cujus judicia abyssus multa, ipse in bello cum multis occumbens, cælos penetravit sanguine laureatus. Facta est prædicta strages in vigilia purificationis *Virginis benedictæ*, *Lodovico* Imperatore adhuc superstiti & vivente. De hoc Præfule *Venerando* dici potest illud, quod de *Juda Machabeo* in **AURO. R. A.** legitur. Verf:

Turbas hostiles turbans, mediosque per hostes  
Irrumpens rupit more leonis iter.

Et prædicta strages juxta monasterium *Ebbestorpe* est facta. Perfidi ergo in opprobrium & derisionem fidei catholicæ capita aliquorum ex prædictis super palos levantes & ponentes, ad exaltationem Christiani nominis accidit in festo paschæ, post eorum casum proxime audita sunt voces Angelorum altè concinentium cantilenam, quæ ob reverentiam dicti festi cantari consuevit, *Christus resurrexit*. Cum ergo Pagani intellexissent, quod Deus Christianorum illo die à mortuis resurrexisset, & ad laudem illius diei Christiani talem cantilenam, vociferari consuevissent, conversi sunt ad Dominum. *Theodericus* cum suis in monasterium *Wunstorpe* translatus & sepultus est. Aliter apud monasterium *beatæ virginis* in *Hamborch* depictum inveni, videlicet quod anno domini **DCCC LXI** ipso die *Petri ad vincula* factum; Et quod *Papa Benedictus quintus* cum duobus cardinalibus, septem Episcopis, septem ducibus, quindecim comitibus, LX sacerdotibus & sex millibus hominum venit, quorum vim Slavi non ferentes præmittunt nuntios pacem petentes; Et data pace irruunt, dilectum Deo populum variis mortibus interimunt. Et sic à Slavis perfidis sunt occisi. Nocte ergo sacratissima dominicæ nativitatæ media splendor supernæ lucis ipsum locum irradiavit,

(\*) In Maderiano MSto DCCCXXX,



vit, & audita sunt capita ympnum angelicum, *Gloria in excelsis DEO* canentia, & delicias electissimæ noctis dulci modulamine concrepantia. Verumptamen locus requietionis martyrum per multa temporum curricula omnibus mansit ignotus; Donec operante Deo, revelantibus se sanctis, miraculosè ostensus est. In die namque *celebrationis Sanctorum* matronæ quædam, pergentes, cum pervenissent ad locum reliquiarum difficultatem viæ inciderunt, ita ut curru retardarentur, tanquam offendentes in lapidem. Quæ mirantes, quodnam obfisteret, diligenti cura perquirebant hujusmodi difficultatem. Et respexerunt, domino revelante, cespitem everso, cruorem recentem ab humo proflire; Et agnoscentes corpora martyrum illic recondita devote adoraverunt. Quidam devotus nomine *Ottericus* manens in villa adjacente sanctorum memoriæ, dicta *Stadorp*, tempore matutino solitus erat ecclesiæ frequentare limina; Et integra caligine, cum essent cæca omnia, cernebat luminaribus accensis locum requiei sanctorum luce serena illustrari; & ita locus inventus est. Erat domus vicina memoriæ martyrum australi parte, quæ exorto tonitruo fulmine consumpta est, quæ sæpius reædificata corruscatione consumitur. Et quia locus ille à fidelibus sæpe visus est illustrari caelesti lumine, liquidè patuit dominum majestatis ea in terris velle magnificari, quæ ipse in calis extulerat. Sicque anathemate est inhibitum, ut domus illa nullatenus reædificaretur, & ita tertius locus inventus est. Passi sunt sancti martyres in *civitate Hamburgensi* die Kalendarum Augustarum præsidente sanctæ Apostolicæ sedis Benedicto summo pontifice, Regnante piissimo Lodwico, serenissimo Karoli filio. Igitur anno dominicæ incarnationis M CCLIII manavit oleum ex ossibus sanctorum martyrum in die passionis eorum, qui ab ortu solis manare cepit & ad horam quartam fere stetit: *Aderamus & nos psallentes in multarum gratiarum actione*, & in lacrimis effusi & stillicidio illo supercaelesti quodammodo spiritualiter peruncti. *Abbas Ullessensis* aderat cum suis testis & ipse fidelis, qui reportavit ecclesiæ suæ memoriale ex oleo illo sacro, quod ministravit nobis rex regum, dives in omnibus, non mediocriter, sed ex habundanti: præsentibus spiritualibus & laicis, qui convenerant ad diem festum: Ubi misericordia ejus nullius fraudavit oculum. In illius olei sacri manantis aperta visione quidam tamen, ut moris est, humanæ tarditatis non credentes liquorem sanctum divinitus datum, affirmabant rorem magis esse: sed dominus bonitatis suæ donum non passus errore obscurari, aberravit (\*) miraculum in die sanctæ passionis eorum, die mediante, in ipso fervore solis oleum ex ossibus Sanctis fecit exurgere, populo concurrente & inspectante: Ea videlicet hora, qua rorem descendere non esset opinabile. \*Erat quodam tempore in die beati Petri pluvia vehemens, & dominus more solito mirificavit sanctos suos, sacro oleo manante ex ossibus eorum, omnibus astantibus & hoc miraculum cernentibus. Afuit inter eos quidam ex ordine minorum nomine *Eckebarthus* Deo valde devotus, & dum omnes hæsitarent propter inundationem pluvie quæ descendebat, lichnum, quem tenebat, intinxit in liquorem, convictum imposuit candela & arsit, donec totum absumeretur, quod fuerat intinctum. Item eodem modo cum præposito *Helmerico*. Tempore domini *Manogoldi*, qui erat præpositus canonicorum in *Ebbestorpe* Ecclesia Mindensis est incensa: Quæ reædificata, septies postea igne consumpta est. Mindenses ergo missis legatis alloquuntur capita ecclesiæ petentes, ut accepto magno præmio redderent sibi corpus pontificis eorum videlicet beati *Theoderici*, ut in tanto periculo eis esset præsidio. Reclamant omnes, nullatenus annuentes, quia inter tot milia unus dinosci non poterat; Qui etiamsi notus esset facie, & nomine; nullo modo dimitterent thesaurum, qui consilio divino apud eos esset reconditus, & hoc eis ad lucrum maximum. Igitur qui missi fuerant, infecto negotio revertentes, turbatione non modica populum commoverunt. Ergo licet cassaretur desiderium eorum, patrorum tamen suum, quamvis absentem honore magnifico sublimare volentes, argenteum faciunt monasterium ad modum lacerti pulchro fornice decoratum, sacerdotem ante altare ponentes, ex latere turrim argenteam & Sacristam stantem, & nolas quasi compulsantem; Hoc munus sibi fore munimen sperantes, ut ejus patrocinium hinc eis referret solatium; Et sic per merita Sancti Martiris cessavit plaga incendii ab eis. Structura, quæ erat circa corpora Sanctorum, ex vetustate collapsa fuerat, quæ ex negligentia civium non reædificabatur. Tunc idem prædictus pontifex apparuit cuidam moniali in casula violacei coloris infulatus ac mirifice decoratus, vultu serenissimo, præcipiens quatinus pronunciari faceret populo, iram Dei super eo in brevi futuram, pro eo quod locus, in quo requiescerent, valde haberetur despectus, & porci terram evellerent nullo penitus prohibente. Subjuxit etiam: Quibuscunque hoc narraverunt, dices in testimonium, quod me corporalibus oculis videris, & quod quotidie sumus memores omnium nostri memorum apud Deum. Quo dicto, vir venerandus disparuit. Quodam tempore, dum quidam rusticus illic gramen meteret pecoribus suis in pabulum, contigit ut ipse & uxor sua sensu privarentur; equi ejus & omnia pecora morerentur; & in hoc apparuit, quod Dominus sublimavit sanctos suos dignis in celo præmiis & in mundo miraculis, cui est laus & gloria in secula seculorum Amen. Item, temporibus *Gervasii* præpositi fuit quædam puella toto corpore contracta, quæ sanata est per suffragium sanctorum martirum. Item, quædam

(\*) *Mader. procuravit.*



quædam bonæ nationis femina octo dies laborans in partu, ut jam desperaretur de vita, soporata, modicum vidit se assidere foribus ecclesiæ, ubi sancti martyres sunt tumulati: Vidit ergo assistere sibi virum ætate senem in habitu venerando, qui dixit ei: Si feceris ea, quæ suafero, recipies sanitatem: si ad quemlibet locum, ubi requiescimus, voveris te oblatu-ram quatuor denarios continuo, salva eris; arbitrio tuo relinquo, quid ad capellam offerre vo- lueris. Quæ evigilans & statim omnia fecit, & peperit filium. Item quidam plebanus labo- rans in quartanis, voto se sanctis obligavit, & quod amicos Dei fide honorasset, sanatus est. Quædam monialis, dum penitus obdormisset, gramen, quod de tumulis Sanctorum scarpse- rat, tulit, auribus imposuit, protinus audivit. Quædam matrona dolore oculorum gravaba- tur, oculos argenteos sanctis transmittit & salvata est. Quidam sacra unctione percepta, dum pervenisset ad extrema, vocat uxorem, rogans, ut ad memoriam martirum curreret, & pro ejus sanitate supplicaret: Hora, qua illuc mulier advenisse videbatur, vir incolumis ef- ficitur, qui die tertia ad agriculturam progreditur. In hiis & aliis multis magnificasti, Do- mine, populum tuum, & pro ostendendo coram gloria tua non desunt miracula. Istos er- go Dei bellatores veneramus, qui tanta Dei dona miro testantur in æto. Ora pro nobis, beate pater Theodrice, ut digni efficiamur per Christum. Venerabilem ergo Viri Dei præ- fulis sancti Theodrici sepulturam in terra nobilium Slavorum sive *de Wende*, in cujusdam villa ecclesiæ, quæ lingua Slavica *Qvydsyn* dicitur, quæ ab opido *Plawe* in dicto dominio ad unam leucam distat, esse intellexi. Est enim verisimile, quod in dicto loco *Qvydsyn* hic præful cum aliis interfectis sive ab Ungariis sive à Slavis perfidis diem clausit extremum. Istum si phas est angelum dixisse, fuisse hunc, per prodigia multa patuisse, refert. Tertio anno immediatè sequenti monachi de *corbeya Rugam*, quæ est in insula maris, juxta civita- tem *Sundis*, Deo cooperante, converterunt, & in honorem sancti viri patroni sui ibidem ec- clesiam construxerunt. Item *Rabanus abbas Vuldensis* & doctor egregius episcopus Magunti- nus ordinatus est. Anno Domini DCCC LXXV prædictus sanctus Episcopus *Theodricus* constituit peragi anniversarium suum, ut in *libro presentiarum* habetur, in festo purificationis virginis benedictæ.

## IV.

**Q**uartus Episcopus nomine *Vulfarius*. De hoc præfule venerabili nichil dignum heu memo- ria occurrit scribendum, quod non parum me dolet. Ejus tamen dies seu *transitus prima die mensis Junii*; hoc est in die sancti Nycomedis martyris transivit ad Dominum. Versus:

Hic doctor prudens ad opus sublime vocatus  
Auctoriq̄ DEO messis fecunda paratur.

Temporibus istius, ut supra dictum est, corpus sacrosanctum virginis *puffina* de pago per- thenli vico *Barlionensi* Hervordia translatum est. Anno DCCC LXXII *comitatus Flandria* sum- psit exordium. Anno sequenti *Comercia Hollandiæ* cepit exordium; Item sanctus *Cirillus* pene omnium Slavorum apostolus corpus sancti *Clementis* Papæ à *Terfona*, ubi in mare projectum fuerat, mari exsiccato, auferens, Romam deportavit: Quod per Papam & roma- nos in Ecclesia sancti *Clementis* Papæ fuit honorifice reconditum. Item anno sequenti *Studi- um literarum de Roma parisiis translatum est*.

## V.

**D**rogo Episcopus in ordine quintus gentium ydolis & eorum cultoribus maledixit; Infideles etiam & eorum numerum diminuere, quantum valuit verbis & impugnationibus, non cessavit. Temporibus hujus cænobium canonicarum regularium apud villam *Milenbecke* o- lim, nunc *Molenbecke* in territorio *Osterborch* in parochia *Acriste*, nunc *Eckersten* dicta, Anno Christi DCCC minus quatuor annis in honore Sancti Petri Apostoli, simul in honorem sancti *Dionisii* & sociorum ejus, ut inferius patebit, de cujus fundatione versushabentur:

Annis nongentis Molenbeeck duo bis minus annis  
Folcrat & Hylenborch simul exstruxere Drogone.

Annis ergo aliquibus transactis dictum monasterium per ignem destruitur; In cujus reconfilia- tionem beatus *Dyonisius* beato *Petro* in ecclesiæ patrocinio est assignatus. Hujus monasterii fun- datrix principalis fuit quædam domina & matrona nobilis nomine *Hiltborch* vel *Hilborch*, & sa- cerdos quidam *Folcradus* dictus, centum familiis, servis, & litonibus cum omni eorum possessione præfatum cænobium dotantes. Nam tunc temporis habuit nobilem abbatissam. Drogo vero Epi- scopus hoc in suum *Mundiburdum* ad petitionem dictæ matronæ & sacerdotis suscipiens & tui- tionem. Hinc decimas de centum & viginti aratris ad ipsius Episcopatus sedem pertinentibus donavit, ea videlicet ratione, ut omni anno ad altare beati *Petri* in *Mynda* quinq; solidos in auro vel argento de monasterio ante dicto offerantur. Et est forte ista pecunia, quam dant ad *crisma*. Et ut episcopus semel in anno cum tali servicio, quali in cæteris locis suæ diocesis recipi reve- renter consuevit, suscipiatur. Hujus monasterii prima abbatissa neptis prædictæ, *Hiltborch* nomine, sacro velamine ab ipso Episcopo velata, post transitum fundatorum gubernatrix



& abbatissa præsignata est. Ut autem præfatæ virgines in dicto monasterio domino quietius famulari possent, *Arnulfus Imperator* in suam protectionem & Mundiburdum suscipiens privilegiis gratiosis ob interventum episcopi Drogonis roboravit. Dans itaque dicto cœnobio puellarum licenciam inter se abbatissam eligendi, & mundiburdum, quemcunque voluerint, in casu, quo aliquis episcopus Myndensis monasterium deprædaret. Quod maxime fuit factum per incendium & rapinam isto anno, quando Myndenses fuerunt captivati per istos de *Voernholte* & de *Lemego* & fuit in toto tunc destructum. Et ego æstimo, quod fuit vindicta, quod myndenses perdiderunt ultra CCCC viros sine latione. Nam captivaverant ultra LX viros, qui habebant balistas jam paratas, & etiam aliquos cum machinis, & captivaverunt eos sine defensione feria tertia post misericordias domini. Et sequenti die Georgii martiris anno Domini M CCCC XXXVI, quia venerunt cum armata manu ad campum Myndensem & nichil rapuerunt omnino: Et isti Myndenses persecuti sunt eos usque ad *Stad Voernholte*, & ibi maxime ultra medietatem occisi & capti sunt. Et erat ibi unus *ribaldus* sacerdos, qui vocabatur *Johannes Togsè*, qui veniebat ad conflictum, & fuit unâ captus & fuit ductus *Lemego*. Quo audito, eo quod esset sacerdos, dederunt sibi equum suum, & quod perdiderat unum antiquum capucium, dederunt sibi in recumpensum unum novum. Sed si fuisset captus *Voernholte*, necesse habuisset exponere LX florenos quia fuit plebanus in *Hille* & non fuit membrum in civitate. Supervixit tamen postea usque ad annum M CCCC LIV. Et ista sufficiant de hac materia. Præterea *Otto secundus Imperator* ad instantiam *Milonis Episcopi* dedit eis privilegium, ut nullus comes vel judex publicus vel aliqua potens persona homines præfatæ ecclesie in suo judicio bannum imponat, aut injuriam exigat ullam, excepta lege illa, quam advocatus episcopi, qui præsidet eidem ecclesie, solitus est ab eis reposcere & illam juris ordine finire. Datum *Duesborch* anno Christi DCCCC LXXVIII. Insuper *Henricus secundus* ad petitionem *Theoderici secundi* & abbatissæ nomine *Bebschedis* censum regalem (\*) & servicium, quod à dicto monasterio imperio antea debebatur, ne de cætero ab eodem exigatur, remisit, Anno domini M III. Indictione prima. Et hic *Arnulfus* prædictus, anno imperii sui IX, Corpus sancti *Dionisii Areopagite* de gallia in *Ratisponam* Theutoniarum transfudit ubi nunc requiescit; & hoc *Leo X. Papa* bulla sua protestatur. Et sicut prædictum monasterium *Molenbeke* funditus desolatum fuit, superius tactum est. Novissime anno M CCCC XLI vel II, canonici regulares de *Bodeke*, ex quo fuit de eorum regula, procuraverunt dictum monasterium ab Episcopo & Capitulo, & instituerunt ibi de regula sua canonicos regulares, & fuerunt ibi ebdomedarii (\*\*) sicut *Hervordiarum* sunt, & etiam Vicarii. Nam quando fuit in vigore, tunc fuit ipsa specialis ecclesia per parochiales. Sed isti monachi de dyocesi padebornensium contempserunt abbatissam & omnia ejus supposita; sic aliquibus dederunt annuos redditus; aliis certam pecuniam ad faciendum victualia. Item fuerunt ibi adhuc pulchra clenodia in casulis & in aliis & præcipue una pulchra crux, quæ omnia venerunt ad istos monachos, qui ista destruxerunt pro restauratione monasterii. Sed ista crux bene merito debuisset ad ecclesiam Myndensem pervenire. Nam isti monachi invenerunt ibi in valore, in ædificiis, in campanis & aliis, ultra mille florenos. Sed prælati monasterii non habent amorem ad ecclesiam nostram, & sic habent ibi modo monasterium uberrimum, & est modo bene restauratum in omnibus. Nam habent ibi omnia necessaria ad humanum usum. Nota, de ista pecunia superius annotata est aliter. Nam pro donatione, quam fecit Episcopus *Drogo* dabunt annuatim tria talenta, & hoc impignorum per Episcopum in capitulo, & capitulum ulterius impignoravit vicario sanctæ *Katherinæ* in ecclesia Myndensi ista tria talenta. Et istam pecuniam, quam dabant ad crisma, dabunt pro ecclesiis eis incorporatis. Antiquitas istæ canonicæ fuerunt nobiles sicut *Hervordiarum* sunt, & habuerunt officia sua, ex istis aratris, quæ venerabilis *Drogo* & alii nobiles & militares, & notanter ille nobilis *Uffo*, qui habuit duo castra *Uffenborch* & *Oesterborch*; & ista sufficiant de *Molenbeke*. Prædicta vero *Hiltendorch* fuit uxor cujusdam viri nobilis nomine *Uffo*, qui duo castra habuit optima in parochia *Eckersten*, unum juxta villam *Bredenbeke*, quod incolæ inpresentiarum *Uffenborch* nominant; reliquum prope villam *Steynborch*, quod dicebatur *Oesterborch* habuisse perhibetur. Isti duo videlicet *Uffo* & *Hiltendorch* non habuerunt filios neque filias. Tandem *Uffo* peregre profectus est forte ad sanctam terram & ad sanctum Jacobum: Et ex quo non habuit heredes non multum curavit ad patriam redire. Et sic multum ultra tempus duravit, quod fuit publicatum, quod esset mortuus per longum spatium. Sic istius uxor inclinata, heredem non habens, & ad secunda vota ire formidans ad instinctum cujusdam devoti sacerdotis nomine *Flocradus* vel *Folcardus* Christum instituit heredem in absentia mariti, IX Ecclesias videlicet *Molenbeke*, *Segelborst*, *Deghore*, *Ostereyseberg*, *Westereyseberge*, *Honrade*, *Siliesen*, *Velbom* fundavit. Quod contingebat? *Uffo* redeunte ad patriam videbat in sompnis, quod uxor sua haberet IX filias illegitimas, expergefactus à sompno cepit cogitare de sompno sciens uxorem suam honestam personam: Unde in reditu mariti sui se IX filias ei peperisse gloriata est. Quare sic inquit:

Deo

(\*) Maderian. malè: *galearum*.(\*\*) *Hebdomadarius*, ad quem officium coquinæ hebdomade peracta pervenit.



Deo & vestra dominationi novem filias nondum in Christo generatas generata sum. Quod vir inclitus ac Deo devotus de fundatione IX ecclesiarum intelligens, eas de bonis primis competenter dotavit & præcipue *Molevbeke*, & per manus Episcopi Drogonis consecrationis beneficium imposuit. Obiit autem venerabilis præsul *Drogo* anno Domini DCCCC IV, anno post prædicti monasterii fundationem, ipso die sancti . . .

Drogo vir illustris Myndensis episcopus urbis  
Hujus discessum provincia condolet omnis.

VI.

**A**dalbertus in ordine episcoporum sextus. Circa tempora istius videlicet Anno Christi DCCCC XXIII *Henricus primus Imperator Ungariorum*, quibus Saxones tributarii fuerunt, devicit. Ipse enim in regno promotus, consilio habito, & pecunia collecta, tributum ad novem annos redemit. Et medio tempore terram opidis munivit, quærens ne Christiani amplius à paganis sic premerentur. Completis annis novem, Ungarii per legatos petunt tributum. Imperator *Henricus* in signum contemptus & abjectionis eorum catulum abscissum auribus & cauda mittit pro tributo. Ungarii exacerbati gravissime cum centum millibus pugnatorum Saxoniam tendunt, omnia loca transitus eorum devastantes. Unde populus Thuringorum, qui in opido, *Lichen* vocato, se recipientes, ibidem à quinquaginta milibus Ungariorum est obsessus, reliquis quinque millibus in Saxoniam diffusis prædas & ceditiones atrociter agentibus. *Henricus* cum quatuor milibus tantum hostes aggreditur & ad confusionem extremam exterminavit. Qui gladium evaserunt misere nudati recedunt: qui fugati fuerunt elapsi turpius in paludibus submerguntur; Qui vero ad fugam expeditiores erant, venientes ad socios in obsidione Thuringorum fuerunt eis in horrorem, in tantum, ut simul cum fugientibus fugerent, & omnis terræ populus exultans eis insultaret. Item hoc anno *sanctus Odalricus* episcopus ordinatus est. Hic antistes ex mundi ergastulo in die sanctorum *Vedasti* & *Amandi* dicitur ad dominum migrasse.

Liberat ecclesiæ depressis vulpibus agrum  
Nec jam Scismaticus vexat ovile lupus,  
Non dubitat forti pater obvius ire leoni  
Maxillasque graves inferuisse manus.

VII.

**B**ernhardus septimus in ordine Episcopus. Quantum temporis ille & suus antecessor sedem episcopalem rexerint, nescitur, nisi quantum à transitu Drogonis episcopi usque ad devastationem monasterii *Overkerken* per Ungarios, computari per annos Christi potest; & apparet, quod XXX anni paulo plus vel minus ferè fluxerint. Tempore istius Ungariis de novo *Allmaniam*, *Franciam*, *Holtfaciam*, *Saxoniamque* depopulantibus, *Henricus* rex juxta urbem *Merserborch* congressus, vovit Deo pro adipiscenda victoria se heresin *Symoniacam* de regno suo exterminaturum. Unde inæstimabili cæde eos usque ad interuersionem pene delevit. Ille *Henricus* reges *Normannorum*, *Abroditarum* anno suo XIII ad fidem Christi convertit. Sanctus & electus *Bernardus* fuit septimus hæres, id est dominus vel episcopus. Obiit autem *Bernhardus* episcopus & ab hac luce discessit ipso die sancti *Magni confessoris*. Versus:

Herculis exemplo mundi ne corruat axis,  
Hic fidens humeris grande retentat onus.

VIII.

**L**udarius octavus episcopus. Hujus tempore anno domini videlicet DCCCC XXXIV monasterium *canonicarum regularium* apud villam *Wysbeke* in honorem sancti *Johannis Baptistæ* à nobili matrona domina *Hilleberge* fundatum est. Post lapsum vero temporis scilicet anno Christi M CC XXXIII idem cænobium per incendiam destruitur, & post annos Christi XXVII Kal. Julii à duobus Episcopis reconciliatur. In hujus reconciliationis die duæ stellæ lucidæ circa meridiem multis fidelibus videntibus & ammirantibus super monasterium ceciderunt. Eodem anno Papa *Adrianus IV*, dicto cænobio ad petitionem *Dethmodis*, ut sub protectione sedis Apostolicæ in perpetuum staret, & quod nullus episcopus nisi Romanus Pontifex quamlibet jurisdictionem habeat nisi ab abbatisa invitatus, ut missarum solemnia celebret, salva tamen in aliis, diocesi iustitia. Nota, quod istud cænobium stat modo in bono vigore, sicut monasterium in tota diocesi. Nam ibi viget observantia regularis; quod ibi multæ fugientes de aliis cænobiis seu monasteriis confluunt ibidem ad serviendum DEO tam seculares personæ, quam religiosæ. Nam circa annos Domini M CCCCLII, quidam *Ludolphus de Monikbusen* habuit duas filias satis pulchras: Una erat habens annos XVIII & alia fuit de XIX annis, quæ ambæ intraverunt prædictum monasterium. Et sic fuit modo benedictum de die in diem, sed antea fuit in magna penuria. De fundatione monasterii



in *Overkerken* narratur sic; post mortem sancti Karoli, videlicet post DCCC XIV annum Ludovicus pius filius Karoli imperium adeptus est: Et fundatum est præsens monasterium tempore suo, sed quo anno ignoratur, vel per quem, seu prout initio per Episcopum Mindensem est fundatum; & primitus fuerunt canonica seculares sicut sunt in *Wunstorpe*, & præpositura prædicta fuit dignitas in Ecclesia Myndensi, ex eo quod habet propriam jurisdictionem. Sed qualiter illud immutatum est, dicitur infra. Nam omnes ecclesie parochiales ibidem fuerunt filie prædicti monasterii; Sed modo habet potestatem quatuor ecclesias conferendi, videlicet, *Meynsen*, *Velden*, *Sulbeke*, *Horsten*, Isti quatuor sunt capellani monasterii prædicti, item est eis incorporata ecclesia parochialis in *Grevenalveshagen* seu *Stadthagen* & est primum monasterium intra diocesim Myndensem. Igitur post foundationem monasterii *Wisbeke* transacto biennio Ungariorum gens, cujus bene omnes nationes expertæ sunt sæviciam, collecto exercitu maximo fines Christianorum invadunt & sibi vendicant. Castella dirimunt, ecclesias & monasteria igne consumunt, populos jugulant, & ut magis magisque timeantur, interfectorum se sanguine potant. Anno Domini DCCCC XXXVI Mindensis civitatis territoria vastarunt ad monasterium in *Overkerken* declinantes, sanctimoniales ibidem domino famulantes cum suis clericis & familia centum & XX, sicut ibi dicitur, XL numero ipso die Sanctorum Felicis & Aducti, occiderunt. Et legitur, quod una pulcherrima fuit servata ab uno nobili propter pulchritudinem, quam voluit secum ad partes portare. Et quando veniebat versus *Velden*, ipsam respiciens vidit animas in modum albarum columbarum ascendentes. Et dixit ad eum, quod concederet cultellum & abscindebat sibi nasum & dixit inspicite me. Quo viso accepto gladio perfodit eam in eodem loco & ipsa sepulta est in *Velden*. Legitur quod anno Domini M CCCC XXXIX fuit unus presbyter de numero istorum inventus, qui adhuc jacebat in vestimentis suis ac si esset ibi noviter positus, habens magnum vulnus in capite. Versus:

Anno nongento terdeno Christique sexto  
Dieque Felicis, Aducti cum mensque fidelis  
Cælum transcendit, tunc Ungari prælia tendunt,  
In *Overkerken* trucidantes moniales.

Post annos septem *Ungarii* iterum à Saxonibus graviter cæduntur, & fuit tempore *Otonis magni*. Dicitur etiam quod in *Hervordia* circa idem tempus occisi sunt sanctæ moniales, sed istæ non mutaverunt habitum, sicut istæ in *Overkerken*. Istæ moniales prius albo utebantur habitu & erant canonice seculares, & fluxerunt à destructione monasterii CC & XXXI anni & XVI (\*) episcopi Mindensis antequam dictum monasterium fuit reedificatum. Nam legitur quod medio tempore fuit ibi facta una capella in honorem virginis gloriosæ. Tunc circa idem tempus fuit unus, qui furatus erat duos equos, & cum appropinquasset prædictæ capellæ, vidit homines venientes, quibus subtraxerat equos, & non habens locum fugiendi, statim descendit de equo, in quo sedebat & intrans capellam prædictam rogans virginem gloriosam, quatinus sibi auxilium præstaret evadendi, vellet vitam mutare in melius. Et quid contigebat? Equi mutati in album colorem, qui prius nigri fuerunt & liberatus meritis virginis gloriosæ. Tunc *Wernerus episcopus Myndensis* XXVII cepit reedificare prædictum monasterium. Et sic post monasterii restaurationem tunc ad habitum lineum & nigrum priori habitu pro præsentis supra modum dissimili, seculari & lascivo deposito, sub professione beati Augustini & ordine regularium astrictæ pietatis & scripturis dictæ ecclesie testantibus dinoscuntur. Et nota, quod ex tunc, quod monasterium fuit desolatum, erat tunc primus Archidiaconus, qui dicebatur Archidiaconus in *Grevenalveshagen* & ultimus archidiaconus dicebatur *Robertus*, cum quo is Episcopus fecit compactum, quod post mortem ipsius deberet habere præpositum, qui non solet esse canonicus ecclesie Myndensis, ut majorem curam haberet de monasterio. Sic ille *Wernerus* morte præventus, successor suus *Anno Episcopus* complevit, sic quod præpositus non deberet esse de gremio; & extinguit talem titulum cum consensu capituli, quod permiserunt populo & monasterio habere talem jurisdictionem; Sed præpositus dicti monasterii posset incedere, quando veniret *Minda* cum supercilicio sicut ceteri canonici. Sed quid Capitulum in recompensam istius jurisdictionis reassumebat, est incognitum. Vel forte capitulum dimisit eis talem jurisdictionem, ut monasterium restauraretur. Vel aliter de restauratione dicti monasterii fuit una puella circa partes *Reni* nobilis & dives, quæ expendebat bona sua ædificando monasteria ecclesias & pene bona sua consumpsit; cui apparuit beata Virgo in visu, quod deberet ire ad terram Saxoniam ultra *Wyseram* & restaurare ei tale monasterium & illud deberet vocare *Overkerken* & dicta puella dicebatur *Merwynda* & recte ei dictum est, velut *Abraham* de domo patris sui & de cognatione sua, de proprio patrimonio dictum monasterium restaurare incipiens, Virginibus undique collectis usque in finem vitæ suæ cum eisdem ibidem domino serviens, feliciter perseveravit. Transactis itaque aliquibus annis scilicet CC & XIV, con-

(\*) Recentiori paulo manu subscriptum erat: XXVI.



contigit idem monasterium ex quodam casu igne totaliter cremari, quod per quendam virum venerandum *Engelbertum* monasterium viriliter fuit restauratum. Prædicto namque anno castrum quoddam nomine *Bukeborch*, (\*) quod in vicino monte videlicet ad plagam orientalem situm in pede montis erat, cum omnibus suis pertinentiis, scilicet cum tota villa, quæ adjacet monasterio, quod nullus dicitur acceptare aliquid contra voluntatem monasterii in prædicta villa. Et hoc prohibitum est per *Fredericum I. regem Romanorum* sub maximis penis; Et per Episcopum Mindensem sub anathemate prohibitum est. Et prædictum monasterium habet tale dominium in ista villa: quando moritur vir, tunc medietas domus pertinet ad monasterium. Similiter si mulier moritur. Sed si ambo, vir & mulier, moriuntur, tunc domus pertinet ad monasterium; Et talis donatio facta est à nobili *de Werbende*, comite de consensu fratrum suorum scilicet *Cifrido Bremensi Episcopo*, *Bernardo Duce Saxonia & Bavaria*, *Ottone Marchione de Brandenborch* donabatur, & in possessionem perpetuam monasterio præfato ob reverentiam virginis gloriose possidendum liberaliter fuit resignatum. Et quod hic locus à principio suæ foundationis, quamvis nescitur, quis eum fundaverit, virgini gloriose fuerit & sit dedicatus, placuit virginis filio, ut mater ejus & virgo etiam in prædicto loco suppliciter invocaretur, & crebro in omni eventu visitaretur. Judicio etenim DEI, quod nemo novit, contigit, ut anno domini M CCCXXV circa opidum *Lubbeke*, ut multi subito pestilentia infecti moriebantur, unde incolæ loci illius Dei iram & ejus manus potentiam expavescentes virginis benedictæ patrocinia implorabant, voventque voto peregrinationis dictum monasterium *Overenkerken* visitare. Et solvebant. Et quod dominus preces eorum respexerat, plures istorum exemplo prædictum locum devote visitabant. Et ex isto mos inolevit & in consuetudinem tractus, & permanet usque in præsens. Etenim dicitur, quod ymago virginis gloriose, quæ ibi honoratur, fuit primitus in *Wunstorpe*, & fuit ex vetustate projecta, seu fuit data ad renovandum, & sic casu veniebat in *Overenkerken*, & sicistis de *Wunstorpe* non fuit cura de ymagine, & quando fiebant signa in *Overenkerken*, tunc voluerunt habere ymaginem suam: sed noluit in *Wunstorpe* manere. Et moves reverentia: nam die ac nocte habet lumen perpetuum de cera: quia hic undique omni anno Mindenses portant ibi tria magna lumina. Nam beata virgo in ponte portat ibi unum, & civitas unum, & piscatores unum; similiter de villis undique. Et est monasterium pulchre jacens in pede montis, habens campum undique, & est dives in bonis, in molendinis, in ædificiis. Et villa multoties consumitur per ignem propter peccata. Nam omnes fures & prædones confluunt ibi ad manendum. Prædictus Episcopus in die Annæ transivit ad Christum.

IX.

**E**bergisus nonus Episcopus. Hujus temporibus *Bruno Episcopus Colonienfis*, frater *Otonis* primi, corpora Sanctorum de Roma in *Coloniam Esicii*, *Patrocli*, *Privati*, & *Gregorii* transtulit, cum baculo beati *Petri* Apostoli. Quinto verò anno sequenti per eundem Episcopum beatissimus martyr *Patroclus* miles *Trecasinus* transfertur in *Susacium Angavorum opidum*. Hic antistes *Ebergisus* in die sancti *Lucæ* Evangelistæ ad lucem sempiternam domino vocante translatus est. Versus:

Hic tenebras noctis, ut sol adnectitur, igne  
Fulget in adversis casibus atque bonis.

X.

**H**elmwardus in ordine decimus. Hic præsul duobus aliis sibi associatis, scilicet *Drogone episcopo Osnabrugensi* & *Dudone Paderbornensi* majorem ecclesiam in *Minda* dudum fundatam (si consecrata dubitatur) in honore Sanctorum *Gorgonii*, *Laurentii* & *Alexandri* martirum anno Domini DCCC LII, Indictione XIII. post hujus sedis per *Karolum* foundationem anno Domini CLXXXII consecravit: Altare vero majus tunc consecratum propter ædificium novum circa idem altare, ut apparet, postea apponitur, & cripta, quæ erat sub choro, pro ut evidenter in præsentiarum videtur, ad ecclesiæ decorem deposita fuit, & adhuc non reconsiliatum apparet, sed violatum. Nam creditur, quod per beatum *Leonem* consecrata sit, sicut superius expressum est tempore *Karoli magni*. Obiit autem præsul *Helmwardus* morte beata anno VI post prædicti monasterii consecrationem, Domini vero DCCCC LVIII, ipso die *Valentini* martiris incliti. Versus:

Hic sublimatus in culmine pontificatus,  
Moribus ornatus, doctus, vitæque beatus.

XI.

**L**andwardus vel *Lantwerdus* undecimus episcopus. Quantæ prudentiæ & quam acceptus principibus hic fuit, facta sua magnifica circa suam ecclesiam amplificandam & exaltandam testimonium perhibent gloriose. Fuit enim primus inter omnes antecessores suos,

X 3

qui

(\*) *Mader. Bukeborch.*



qui ab imperio regalia impetravit, sic ipse ab Ottone magno anno Christi DCCCC LXI apud *Bontbeym* VII ydus Junii obtinuit. Hunc idem Imperator specialiter honorare volens, baculum pastoralem pretiosum de lignis habeni beato Petro & ecclesie Myndensi obtulit. Est enim habenus arbor ethiopica, quae caesa durefcit in lapidem, colore nigro, tactu levem & planum, durum & ponderosum, ut in *libro de vegetabilibus & plantis*, unde propter compactos poros in aqua positum, mox fundum petit, & si igni appositum, ipsum rapit & suavem odorem & fumum emittit. De isto praesule in *legenda sancti Epyphanii Episcopi*, cujus corpus apud Ecclesiam Hildensemense sit mentio, & quod tempore hujus corpus sancti praedicti una cum corpore sanctae virginis Speciosae per *Otharynum* Episcopum Hildensemense de urbe Pappya fuerit translatum: Cujus virginis partem & corporis portionem *Landwardo* praesuli transmisit. Eodem tempore anno videlicet DCCCC LXVIII Corpus sancti Felicijani episcopi Fulginensis de Fulginea civitate Tussiae cum parte cathenae beati Petri apostoli & aliis quam plurimis reliquiis venerandis sanctus *Theodericus Metensis Episcopus* Metis transtulit, & collocavit. Haec ex *Speculo historiali*, ex libro XXV. cap. LXXXVIII. Hujus corpus sacrum cum cathena quae Romam tractus fuit, postea *Myndam* translatum est, sed per quem vel quo tempore, nisi forte sub praesule *Annone* dicatur cum aliis reliquiis translatum, certum non habetur. Hoc enim negligentiae, quae mater ingratitudinis & gratiae inimica esse dinoscitur, illorum est imputandum, quorum haec translata sunt tempore, quod scripto non tradiderunt. Quidam sacerdos devotus nomine *Wandradas* sive *Nandradas*, *Lubbeke*, quod tunc temporis *Lidbekegowe* dicebatur, in comitatu *Bernhardi* comitis situm, cum multis bonis circumjacentibus *Ottone magno* petente & approbante, ecclesiae *Mindensi* & beato Petro donavit. Data XIV Kal. Martii, Anno dominica incarnationis DCCCC LXXIV, Indictione II. anno vero regni domini magni *Otonis* XIV. Imperii VII. Aetum *Novimago*. Eodem tempore, ut intellexi, *Monasterium Walsrode* monialium in *Walsrode* vel *Walvesrode*, in honorem *Johannis Baptistae* est fundatum. Item regalis abbacia in *Magdeborch* mutata est in *Archiepiscopatum* per *Ottonem* magnum, anno suo II, quod intelligendum est, quantum ad locum. Imperator enim monachos transposuit, & ad locum ubi sunt, ad sanctum *Johannem* & *Episcopatum de Vrose* ad locum eorum & in alodium suum transposuit vel transtulit. De quo huius versus habentur:

Dum nongentenus terdenus ducitur annus  
Exlitit a Christo, tunc rex magnus fuit Otto.  
Magdeborch anno fuit hujus structa secundo.

Igitur Antistes venerandus *Lantwardus* ipso die sanctorum martirum *Cosmae* & *Damiani* viam carnis universae transivit. Versus:

Praesul *Lantwardus* moribus redolens quasi nardus  
Gregem non tardus servat, vigilans quasi pardus.  
Carnem castravit, hostem mundum superavit,  
Famelicos pavit, sitibundos poculo lavit.  
Hiis bene peractis conscendit ad agmina lucis.

## XII.


**M**ilo Episcopus XII. Dicitur enim Milo quasi militiam exercens vel milito, & dicitur miles a mille, quia vix unus de mille olim, ut militiam exerceret, eligebatur. Hic enim miles Christi electissimus, ut summo regi militaret, ad apicem militiae Christi assumptus est. De isto in vita de beato *Berwardo* Episcopo Hildensemense inveni, quod ab Episcopo *Osdago* ad monasterium *Gandersemense* pro velatione sororis *Otonis* secundi propter formam suam gratam & vitae honestatem fuerit invitatus. Hic praesul Milo a praedicto *Ottone* II regalia & Forestros acquisivit. Notum (\*) sit omni industria nostrorum fidelium tam praesentium quam & futurorum, quia nostra fidelis *Milo Mindensis* ecclesiae Episcopus nostram humiliter adiit clementiam, quantenus eidem ecclesiae quae est in honore beati *Petri* principis Apostolorum & sancti *Gorgonii* constructa & nostra Imperiali prudentia commissa, quicquid ibidem nostrae regiae potestati subiaceret, hoc est bannum nostrum, & ut monetam macellumque publicum ibi construere liceret, concederemus, ea ratione transfundimus, ut perenniter pro nostra anima remedio unus presbyter talem praebendam, ut quisque fratrum in eodem monasterio deo famulantium ordinatus accipiat; & tam praedictus Episcopus quam sui successores in posterum habeant, teneant firmiter, quod per futura secula possideant. Et ut nullus iudex publicus vel alicujus potestatis persona quidquam distractionis vel commutationis huic largitioni ingerere liceat, sed sub ipsius episcopi & eorum successorum munitione vel tuitione, & advocatorum, quibus committere velint, consistant. Dat. XIV. Kal. Aprilis Anno Dominica incarnationis DCCCC LXXVI. indictione III. anno vero regni *Otonis* XVI. Imperii X. Aetum *Thiecke*: Item *Forestum*: In nomine sanctae & individuae Trinitatis (\*\*). Otto divina clementia Rex & c. Fideli nostro *Milone* Venerabili Episcopo Ecclesiae *Mindensis*, sui ipse praesidet ob devotum servitium, quod pio animo nobis saepe exhibuit, in proprium dedimus forestros nostros

(\*) Pistorius T. III. p. 738.

(\*\*) Integrum diploma exhibet iterum Pistorius d. l. p. 736.



nostros Huculingehagen & Moringewald nominatos dedimus supra dicto Episcopo, & ejus Ecclesia silvam Syntel vocatam; quantum ex occidentali parte fluminis, quod Wysera nuncupatur, sui Episcopatus comprehendit, ea videlicet ratione, ut nulla deinceps persona in prædictis venari presumat sine licentia Mindensis Episcopi. Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis



Data quinto idus Septembris, Anno dominica incarnationis DCCCC XCI. Indictione quinta.

Anno autem III. Ottonis regnantis VIII. Actum Brandenburg. Nota Syntel sylva est mons Wedegenberg versus orientem videlicet ultra Wiseram, & est mons, in quo est positum castrum Schouwenborch & durabit usque monasterium Betsingebusen, & ibi dicitur Dester. Item ab Ottonis III anno Christi DCCCC XCIII Indiæ. VI. impetravit, ut monasterium monacharum in quodam castello suo Wedegen vocato, ubi quædam sancta inclusa nomine Theodwyff primum solitariam vitam duxit & regulam beati Benedicti cum aliis virginibus domino humiliter famulantibus & monachabus pie observavit, quibus ipsa lac sacræ doctrinæ velut sciens & illuminata ab infantia præbuit, & religionis sanctæ vitam docuit, ut ab hominum frequentia & quotidiano visitationum tumultu sequestrata Christo domino possent libentius famulari, anno Ottonis XIII fundavit pro memoria hujus Sanctæ inclusæ. Postquam ad civitatem Minden fuerunt translata moniales sive monachæ præfata ordinatum fuit, ut juxta monasterium præmissum aliqua persona devota inclusa haberetur, cui de bonis monasterii provideri deberet. Istud multo tempore fuit observatum, sed deficiente in prædictis monialibus rigore, tepescebant paulatim in devotione & regulari observatione. Velamina enim usque ad primam pestilentiam & alba supara in brachis secundum morem monasterii ad sanctam Mariam ad altare, seu in capitolio, in Colonia, de quo sunt fundata, portabant. Est autem supara monile monile, quod moniales in signum religionis portare in brachiis consueverunt, quod vulgariter Sueke nominatur. Præfatus præsul vero ad præbendam dictarum monacharum tria loca & eorum bona, videlicet Homelbeke Bruesbusen & Jolenbeke cum XL. familiis, quæ ipse prudentia & sagacitate acquisivit. Tempore hujus quidam miles nomine Wanradus multa bona Petro legavit. Item fundavit duodecim præbendas, quæ crucis præbendæ sive cruce-provende nuncupantur, in hunc modum; Videlicet, si aliquis in bello apud Episcopum fuisset vulneratus, seu aliquo membro mutilatus, seu dampna incurrisset ex captivitate, seu fuisset in servicio Episcopi ad senium, seu honestis civibus Mindensis diocesis, tales deberent habere istas præbendas. Et isti quibus istæ præbendæ conferentur, deberent esse continuo in ecclesia majori & servire ad missas & peragere processiones in XLma, feria II. IV & VI. Sicut confuetum, & notatum supra de exequiis canonicorum: & istis fratribus ministratur præbendæ de spensbone, & quilibet deberet tot habere, quot una præbendæ, videlicet XXX modii, spenschepele, avenæ & XXX modii filiginis ejusdem mensuræ; tres modii trici ejusdem mensuræ. Sed modius ille debet semper esse superius plenus mensuratus. Unus modius pisæ vel fabæ ejusdem mensuræ. Item in cæna domini Episcopus habebat dare lintheamina XXIX, quodlibet lintheamen habebat VIII. ulnas & VIII. denarios, sed modo dabitur cuilibet habenti istas præbendas V. W. filig. & III. W. orde; Sed custodibus ecclesiæ Mindensis sunt duæ præbendæ annexæ: Istis dabit curia prædicta V. W. filiginis, III. W. orde, & XII. W. avenæ, sed bene merito: quia istas præbendas habent pro maxima parte fotaria clericorum seu concubinæ. Similiter venduntur jam X. XII. vel XVI. florenis, quæ deberent dari, ut superius dictum est. Et qui habet curiam prædictam unam præbendam & IX. personæ tenentur esse in processione; Non de curia & custodes non tenentur habere in processione; Sed alii IX. tenentur ire processionem, & minor tenetur portare crucem, sicut superius est expressum, & quilibet qui adeptus fuerit præbendam, tenetur dare possessore curiæ eyu verndel wynes. Item eidem pro reverentia cultus divini dedit pretiosum librum evangeliorum, quem plenarium vocamus, auro mundo, tabula eburnea exterius adornatum, inter alia memoria digna quæ ecclesiæ reliquit. Continet autem hic liber hos versus:

Sit tibi Gorgoni liber hic, rogo valde, decori,  
Ornari Milo quod fecit Episcopus auro.

Stupamque & fornacem pro commodo ministrorum ecclesiæ & munditia, secundum prophetæ Ysaïæ exhortationem ordinavit: Mundamini, qui fertis vasa domini. Hujus vero fornacis usus cum suo commodo in usum camini tempore Wedekindi II. transivit & mutata fuit. Item quilibet fratrum in cæna domini XVIII. denarios dedit; similiter toto clero XVIII. denarios & alia multa ordinavit. Prædictus episcopus de Colonia fuit oriundus vel Canonicus ibidem. Hic tandem statu suæ sedis religiose & optime ordinato, Anno domini DCCCCXCIX. ipsa die beati Eleutheri Episcopi ex hoc seculo nequam, cælestia petens transivit.

XIII.

**R** Amwardus XIII. Episcopus. Iste monasterium à prædecessore suo scilicet Milone initiatum in monte Wedegonis ad civitatem Mindensem ad locum optimum & amænum transtulit & sub honore matris benedictæ fundavit ac sancti Blasii. Advertens enim, quod propter incommoda



moda aeris, nebula & tempestatum & nonnulla alia monasterium in tanta aeris altitudine, etiam propter multarum rerum inopiam ibidem subsistere non posset, igitur ut domino liberius vacarent & sub tanti patris scilicet Benedicti regula & statutis tanquam monachæ viverent, quanquam pro præfenti heu in salutis dispendium non modicum hoc negent, Anno Domini M ad locum prædictum duxit & collocavit. In prima enim pestilentia, quæ fuit Anno Domini MCC I. (\*) hujus monasterii monachæ adhuc religiose se habebant habitu simplici & humili, velamina in capitibus nigra; nulla illarum, sola abbatissa excepta, vario utebatur. Postquam autem regulæ jugum deponebant, & propria voluntati sunt relicta, & per abrupta gradientes, aurum pristinae religionis & monasticæ consuetudinis in schoriam multorum malorum versum videmus. Tempore hujus fames dira tam graviter per totum mundum convaluit, ut sepeliendi tedio vivi adhuc spiritum trahentes cum mortuis obruebant. Item gens ungariorum hæctenus ydololatriæ dedita ad fidem Christi per Hinricum Imperatorem fuit conversi. Transivit ad dominum præful Ramwardus Anno Domini M VIII in professo Dionisii martyris. Versus:

Hic tenebras noctis, ut sol adnectitur igni,  
Fulget in adversis calibus atque bonis.  
Ejicit arentes herbas circumfovet illas,  
Quæ præferre boni germen odoris habent.

## XIV.

**T**heodericus II. in ordine XIV. Iste anno domini M IX. Hinrici vero secundi anno VII. apud Drutmanniam, (\*\*) hannum, monetam, theloncum & macellum publicum & quidquid ad potestatem regalem pertinere videtur, pro sede sua impetravit. Eodem tempore sanctus Symon montis Synay monachus cum Poppone Episcopo Treverensi ad Gallias veniens treveris in altitudine turris est inclusus. In hujus honorem apud Mindam per decanum Mindensem Thonem, qui de urbe treverensi creditur oriundus, ecclesia parochialis fundata est, cujus collatio spectabat ad præpositum majorem, antequam monachi ibi fuerunt. Sed habet modo in recompensam parochialem ecclesiam in Jetenborg. Anno Domini M XXII sanctus Hercumbertus Archiepiscopus Colonienfis XVII. Kal. Aprilis, & Berwardus episcopus Hilden. XIX mensis Novembris, obiit. Huic sanctus Godehardus successit multis virtutibus & gratia decoratus. Transactis vero sex annis post hæc gloriosus rex Olauus princeps Norvegiæ IV. Kal. Augusti ab inimicis fidei, pro eius dilatazione, prostratus feliciter calos petivit sanguine laureatus. Hic autem amplificavit ecclesiam. Versus:

Ecclesiæ muris hortum complectitur altis  
Et spatiantur oves absque pavore lupi.  
Non ventus, non aura potest extinguere lumen  
Istud, & æterno lumine flamma viget.

Sedit autem Pontifex Thidericus annis XVIII. mensibus quatuor, dies XXV & anno Christi M XXII in craftino sanctæ Julianæ virginis obiit.

## XV.

**S**igbertus Episcopus XV. Iste super omnes suos antecessores, ecclesiam suam beneficiis magnificis privilegiis & dignitatibus exaltans, laboribus & servitiis corporalibus apud ipsum sacrum Imperium promovisse videtur: & qualiter in vita & conversatione sancta se cunctis exhibuerit & fuerit, Sigwardus Episcopus venerabilis in quodam privilegio excellenter protestatur & commendat animam ejus sanctam, quam graviter offendisse querelatur, veniam à domino petens. Hic prædium in quodam loco qui Kemmeum (\*\*\*) dicitur & bona in Ratisdorpe cum eorum pertinentiis ante altare beati Petri manu ad manum a Conrado II. (\*) IV Nonis Marcii, indictione VIII obtinuit. Hic Imperator fuit vir nobilis, strenuus, utin vita sancti Godehardi legitur. Primum felicitatis suæ annum in natali domini Mindæ initiavit & ecclesiam sancti Martini ibidem anno domini M IX initiatam transactis XX. annis à fundatione dicti Monasterii, ad instantiam Peregrini episcopi Colonienfis, (\*\*) Sigeberto apud regensborch stabilivit & confirmavit: fratribus autem, hoc est, Canonicis monasterii, quoddam prædium Kemmenen dictum & vini decimationem dei intuitu largitus est: aliud autem in eodem loco vinum suis successoribus, ea videlicet ratione, Sigibertus ordinavit, ut in decimationem vini prædicti fratribus ante dictis nullam molestiam inferrent; & quando de illo vino biberetur, intenderent, quod prius ad omnem episcopatum suum tantum non habuerint vini, quantum ciphus capere posset. Idem Episcopus loca, quæ sui juris erant, videlicet

Eys-

(\*) Mader, M.C.I.

(\*\*) Vid. Chron. Mind. Pistorii. T. III. p. 735.

(\*\*\*) Mader. Kemmenen.

(\*) Pistorius p. 743.

(\*\*) Pistorius p. 745.



*Eysbergen, Vanenbeke, Nonrede, Nystalstede, Nygenborch, Rodenlippeke, Hemynckberen*, cum aliis bonis dictæ ecclesiæ tradidit & donavit, & alia multa constituit, ut superius in fundatione ecclesiæ sancti Martini notatum est. Hæc ecclesia anno M CLXV cum omnibus claustralibus domibus per incendium destructa est. Amplius *Sygebertus* (\*) jura Ecclesiæ suæ ampliari volens forestum in *Hesteberge* cum silvis & paludibus inter flumen *Ossenbeke* & *Alerbeke*, usque in medium flumen *Wernove* & tum usque ad *Norisülvercampo*, ad curtem pertinens, *Suligen* nominatum, forestari concessimus & banni nostri districtu circumvallavimus: Ea videlicet ratione, ut nemo ulterius in eodem foresto, absque prælibati episcopi suorumque successorum licentia potestatem habeat. *Data III. Kal. April. Indictione VII. Anno dominica incarnationis M XXIX. Anno Domini Conradi II. Regis V. Imperii vero II. Actum Ratispona.* Et est in *Comecia*. Item idem dominus *Conradus* dedit unum aliud forestum, videlicet ubi *Linde* rivus flumen *Wysera* influit, & sursum contra ejusdem rivi decursum, usque ad villam *Linsa* (\*\*) dictam, ad illum locum ubi videlicet *Linbove* rivus influit rivum *Lume*: Et sursum contra illius rivi decursum usque ad villam *Halle* dictam, ad illum locum, ubi publica strata terminus est parochiarum *Mindensis* ecclesiæ & *Hildensensis*. Et tamen per directum usque ad *Wabeche* fluvium, quæ prædicta discernit Episcopata. Et sursum contra illius rivi decursum usque ad cacumen montis *Vogilari* dicti, & per totum ejusdem montis occidentale cacumen contra villam *Rena* dictam, & inde in fluvium *Wyseram*, & per ejus descensum medium usque ad illum locum, ubi prænominatus *Lume* rivus idipsum influit flumen. *Dat. VI. Idus Julii anno Domini M XXXIII. Indictione prima, anno domini Conradi II. regnantis IX. Imperii vero septimo. actum Mersburg feliciter, Amen.* Hunc præfulem consilio imperiali, anno Christi M XXXIII præsentem *Conrado Imperatore* apud *Franckenvord*, ad petitionem beati *Godehardi* episcopi *Hildensensis* cum XXII. Episcopis, abbatibus VIII. & magna cleri, plebisque frequentia, tanquam prælatum scientia & experientia præditum interfuisse, ut in quodam privilegio inveni. Hujus imperatoris tempore videlicet *Conradi II. anno III Comecia de Schowenborch originem habuit* in hunc modum: Unus nobilis *de Holfatia* fuit cum sæpe dicto Imperatore, perpendens loci amantatem & utilitatem, rogavit prædictum Imperatorem, ut vellet sibi permittere, ibi construere unam domum pro venatione exercenda: quod, quando pernoctasset in sylva, haberet ibi hospitium in illo loco, quod dicitur *Netelenberch*. Propterea habent in hodiernum diem pro armis unum *Netelenblat*. Imperator non cogitans de isto dolo, quod vellet ibi castrum construere; Et forte Imperator fuit ad aliquod tempus absens, & interea cum summo opere complevit, & per querimoniam episcopi *Mindensis* innotuit Imperatori. Nam in loco sylvæ *Syntel*, ut superius est notatum, & sic in dominio *Mindensi* fuit ædificatum. Tunc Imperator volens videre illud ædificium, qui castrum construxerat, dixit ad illum: *Schouw* istud ædificium, sic accepit nomen *Schowenborch*. Tunc Episcopus & ipse, rixantes, tandem fuit diffinitum, quod Comes & sui hæredes debeant in feodum habere istud castrum ab ecclesia & forte propterea est camerarius ecclesiæ *Mindensis*. Et sic de die in diem capiebant & capiunt de ecclesia *Mindensi*: Nam verisimile, quod castrum *Buckeborch* jaceat in territorio *Mindensi*. Versus:

Est Schowenborch natum M XXX tribus initiatum.

Item:

Annis centenis millenis ter quoque denis,  
Post Christum natum Schowenborch tenet initiatum.

*Sygebertus* ergo præful non solum circa temporalium bonorum applicationem, verum etiam circa DEI cultum studium magnum, ut dilataretur, impartivit. Unde inter alia ecclesiæ suæ utilia etiam decorem Dei studuit adornare. Diversa enim plenaria auro & argento, ac tabulis eburneis lapidibusque pretiosis adornata DEO & beato Petro ex singulari cordis devotione, ut in eisdem libris apparet, obtulisse videtur. Horum primum ympos per anni circulum continet centum sex ymaginibus ordinatos, *Ambrosii* & *Hilarii* Episcoporum de ebore reliquos vero quatuor videlicet *Sedulii* & *Aratoris* Romanæ ecclesiæ subdiaconi, (qui duos libros metricos de historia actuum Apostolorum eleganter composuit) *Prudentii* & *Juvenis* in quatuor cornibus libri cum suis inscriptionibus ordinavit. Isti enim primo ympos composuisse inveniuntur. Secundum plenarium continet omnium evangelistarum scripta. Hic liber ymagine crucifixi, & quatuor evangelistarum, de puro auro, lapidibusque pretiosis est adornatus. Tertium continet orationes singulares & præparatoria ad missam, in quo dicti episcopi effigies intra librum pulchre & artificiose est depictus, exteriusque de ebore sculpta & ab aliis duabus ymaginibus suffulta & sublevata. Versus:

Nomine sacro tuo *Sygeberte* dicatur ymago,  
Quæ suffulta suo præsidet officio.

Y

Quar

(\*) Donationem etiam *Pistorius* habet l. c. p. 736.

(\*\*) *Mader. Linsa.*



*Quartum* continet *gradualis* officia. Hic liber & sex ymaginibus eburneis & quatuor argenteis sculptus, Augustini, Ambrosii, Gregorii Papæ & sui diaconi Petri adornatus. *Quintum* continet tropos & sequentias, & multa alia singularia. Hic liber secundum externam sui formam in ymaginibus eburneis, sicut liber *gradualis* formatus est. In hujus libri cornibus ymagine, videlicet, *Marcelli, Xsonis, Otharis, Notheris* habentur. Isti enim tropis & sequentiis operam dedisse reperiuntur. Versus vero, qui sequuntur aureis literis ibidem inveniuntur:

Continet iste liber varios modulamine versus,  
Ut ventum teneat, qui velit esse tenax

Prædicti Notheri effigies pulchre est depicta, juxta quam hic versus auro scriptus habetur:  
Sanxerat iste puer hic orbi carmina nother.

Et sequitur:

Hunc codicem studio Sigeberti præfulis almo  
Aspiciat quisquis, rogo verbis valde benignis:  
Fili celsithroni, dicat, miserere patroni.

Hunc *Notherum* monachum sancti Galli & cenobitam invenio fuisse. *Sextum* est liber *Sacramentorum & collectarum*, à sancto Gregorio Papa editus, sive ex *Gelasiano* emendatus. Hic liber valde est pulcher, quatuor doctorum ymaginibus de ebore excisis; & eorum aliis ymaginibus argenteis, videlicet, disciplina, sapientia, & scientia, & intellectus, in forma reginarum adornatus. In isto libro multa singularia, sedis Mindensis gloriam in servitiis episcopi & aliis concernentia habentur, cum exquisita diligentia conscripta; ubi evidenter apparet, ad quantam miseriam & indigentiam dicta sedes, heu! in præsentiarum sit devoluta. Est enim præfatus liber ab intra pulcherrimè paginatus, habens illud apocalypsis, quomodo Johannes videat agnum in throno sedentem, tanquam occisum, & librum apertum pedibus tenentem, habentem cornua septem, depictum: in cujus circumferentia hii versus habentur:

Ecce triumphator mortis, vitæ reparator,  
Agnus mirifici pandit signacula libri.

Videtur & ibidem *Sigiberti ymago* stans ante altare; ante quem duæ imagines in forma dominarum stantes, quarum una cum vexillo manu sinistra tenens, dextra verò calicem præfato episcopo porrigens, & dicens:

Hauri perpetuæ Sigiberte carismata vitæ:  
Hiis tua clementer reficit te gratia mater.

*Septimum & octavum* ejusdem formæ & valoris ex auro & lapidibus pretiosis tabulisque eburneis compositum, quorum epistolas unum, reliquum evangelia per anni circulum continens, hiis versibus insigniti:

Condedit istud opus Sigebertus præful amandus.

*Nonum* vero plenarium tenet omnium evangelistarum scripta. Et hic liber super omnes libros prædictos pretiosus & formosus, lapidibus pretiosis, auroque fulvo & tabula eburnea artificiose & subtiliter excisa, adornatus. Igitur hic præful memoria perpetua dignus DEO & hominibus gratus & dilectus ecclesiam villanam, *Jolenbeke* nomine, anno Domini MXXXV. consecrans, postquam sedem Mindensis ecclesiæ annis XIV. rexisset, anno Domini MXXXVI, ipso die Gereonis transiit ad dominum, in choro sancti Martini, quem ipse, ut dictum est, fundaverat, sepultus est. Versus:

Est non iste latens modio candela sub arto:  
Sed nitet in media perradiatque domo.

Dedit plenaria, ut superius est notatum, calices & thuribula. Vigiliæ magnæ sunt dicendæ.

## XVI.

**B**runo pervigil dominici ovilis provisor, XVI. in ordine Episcopus. Hunc venerandum præfulem beatus *Godehardus* Hildeneshemensis Episcopus Anno Christi M XXXVI in *Halberstad* presbyterum ordinavit, qui vicem meritoriam rependens beatorum ejus corpus apud majorem ecclesiam sepulturæ sacræ tradidisse in *gestis sancti Godehardi* me legisse memini. Hic antistes gloriosus anno M XXXIX. ab *Henrico III.* regales dignitates, bannum, id est, quod *Wigravius* Episcopi potest judicare malefactores, & potest exercere secularia judicia, macellum publicum, monetam & omnium privilegiorum Mindensi Ecclesiæ ab imperio concessorum confirmationem apud *Andernak* partim & *Mindam* præfente Imperatore ibidem impetravit.



travit. Hujus Henrici pater videl. *Conradus* Anno Christi M XXX solempnem curiam in Minda anno imperii sui X. in quadam cronica legi celebrasse; ubi cum principibus & imperii electoribus, ut filium suum Henricum in Imperatorem susciperent, ordinavit. Et Henricus confirmationem regalium *dedit X. Kl. Julii*. Fuit ergo inclitus hic Bruno antequam episcopus eligeretur *Magdeburgensis ecclesie canonicus*, & *Egberto Marchioni* consanguinitate proximus. Mox ut Episcopatum accepit omni studio inprimis primatem ecclesiam sedis suae, fratrumque suorum praebendas ex hereditariis bonis benignè adauxit. Et duo *monasteria Sancta Maria & Sancti Martini* à praedecessoribus incepta: Alterum, quod est Sanctae Mariae, opere & consecratione consummavit. Unde ordinavit in anniversario suo, ut praedicta Abbatissa debeat deferre unam praebendam ad altare majus, videlicet tibiam ovinam & caseum ovinum, quod jam est extra usum. Sed ego audivi a multis, quod ista consuetudo perseverabat, usque ad tempus quo *Henricus Munter* veniebat pro capellano, quod ipse primitus clam accepit ab Abbatissa praedicta; & sic tandem veniebat extra usum. Similiter deberet praebendam afferre ad Sanctum Martinum. *Sancti vero Martini monasterium* devotè augmentavit ab antecessore suo *Sigeberto* inceptum: alia quoque monasteria quae sub jure suo erant, & praedia ibi Deo servientium devotus melioravit: item *monasterium in Insula* propriis expensis funditus construxit in honorem Sancti Mauritii anno Christi M XLII, ad quod monachos de Monasterio Sancti Johannis in Magdeborch, ordinis Sancti Benedicti, una cum *Meinwerdo* primo Abbate transtulit, fundavit, construxit, consecravit in honorem Sancti Mauritii ecclesiae Magdeburgensis patroni. Multa illius in pauperes, in Clericos & peregrinos benignitas, misericordia & liberalitas erant. Item acquisivit regalia ab *Henrico III.* & quod accepit Ecclesiam in suam munitionem, sicut antecessores sui Imperatores. *Data X. Kal. Julii, anno Christi M XXXIX. Anno Domini Henrici III. ordinationis XI. regnante autem primo. Actum Andernak feliciter Amen.* Sed quia quem Deus diligit, corripit, flagellat omnem filium quem recipit; Paralisis hunc per quinque annos decoxit, ut omnium membrorum officio destitutus gestaretur in sella, famulantium manibus, quo opus esset, portaretur. Sexto decimo verò anno Henrici episcopi, Christi vero M LV decessit, qui post longam aegrotationem, quo dominus vas electionis suae in camino tribulationis transitoriae purgaverat, IV ydus Februarii, hoc est, ipso die Scolasticae virginis, beato sine in domino feliciter quievit. Sepultus est autem in *Insula*, quam, ut dictum est, fundavit, in sepulchro lapideo & sarcophago pretioso positus, metro subsequenti insignitus:

Condidit hoc templum, quem claudit, Bruno, sepulchrum,  
 Praesul, honor patriae, lumen & ecclesiae  
 Ydibus in quartis Februo caligine mortis,  
 It cinis in cinerem, da Deus huic requiem.

Transactis ergo CCC XXXIII. annis, duobus mensibus, & sex diebus post transitum hujus venerandi praesulis *Ludolfus* ex militaribus *Gripeshope*, abbas, & monasterii praefati pater, congrua devotione ad Dei servum Brunonem concepta, consilio discretorum, qualiter ad reverentius possit transferre locum, habito, anno Domini M CC LXXXIX, XII die mensis Aprilis, domini vero Ottonis III. Minden. Episcopi anno IV, domini quoque Ludolfi praedicti XIX. idem abbas cum suis confratribus & quibusdam de Ordine Praedicatorum, qui praedicto negotio interesse affectabant, accessit, & translationi corporis viri Dei operam dabat. Superiori elevato & amoto, locus ultimus sepulturae vix apparebat; in altum fodientes lapidem magnum politum & ab aliis terris allatum: *III. Kal. Junii Ricbertus Magdeburgensis ecclesiae presbyter obiit*; insculptum invenerunt. Huic aperto, circumstantibus non modicum dubium & turbationis causam generavit: Tamen, quia Episcopum Brunonem dudum translatum ex isto praesumentes, tum quia hunc *Ricbertum Magdeburgensem Archiepiscopum* fuisse aestimabant. Collatione tandem de materia habita compertum fuit hunc primum monachum de Magdeborch, pro monasterii fundatione, Mindam fuisse transmissum. Et hunc lapidem pro reverentia sepulturae praeparatum, sed non suppositum. Isto lapide amoto, tumbarum sarcophagum ex lapidibus sectis, & subtilibus ligaturis ferreis compositum, firmatum, ac si ex ligneis asseribus factum fuisset, quem quinque trabeculae ferreae per transversum firmatae, lapidem superiorem sustentantes, cum magno studio & diligentia factum reperierunt. Superiori itaque lapide super sarcophago & cooperculo cum diligentia sublato, corpus illud resolutum omni reverentia & honore dignum, & lapis singularis pro capitis quiete aptatus, patuerunt. Hiis visis aliqui ex circumstantibus corde compuncti, simul & gaudio spirituali perfusi, dominum pro desiderii sui & voti executione benedicentes. Thuribulo ergo & cereis accensis sacrum hunc thesaurum praefatus abbas associatis sibi fratribus praedictis de ordine Praedicatorum, devotione & reverentia ossa illa elevantes, & in theca lindone quam munda involventes ad novum aedificii chorum ante majus altare, ad Christi ejusque famuli, nec non ad dicti monasterii gloriam locarunt, anno, mense, & die, quo supra; pro quo benedictus Deus in secula, Amen. Post fundationem ergo praedicti monasterii videlicet *In-*



*sula Mindensis*, ad triennium; anno videlicet Christi M XLVI. Indictione III. ydibus Julii Episcopus Bruno monasterium dictum *Kennade* consecravit. Istud a *Geroldo Marchione Bardeburgensi* primo fundatum à *Brunone agnato suo*, anno quo supra, consecratum est. Secundario verò propter causas, quæ non occurrunt, quia forte desolatum fuit, sicut *Overnkerken*, multis annis, postquam Ungarii prædictum monasterium destruxerunt, similitum prædictum monasterium fuit. Tandem ad petitionem *Wicboldi Corbeiensis Abbatis*, qui curam dicti monasterii susceperat & adhuc habet (Nam semper pro populo monachos de Corbeia habet), habet ecclesiam in *Bodenwerder* sibi incorporatam, à *Henrico primo Mindensi Episcopo*. Sexto anno post hæc, indictione XV. eodem die, quo prius, idem monasterium, forte quia violatum, reconstruitur. Istud monasterium in prima sui fundatione canonissæ seculares habitabant, quibus propter lasciviam suam ejectis monachi ordinis Sancti Benedicti XXII annis possidebant; hiis iterum amotis, aliquid temporis sine habitatione mansit quasi desolatum. Post multum vero temporis anno videlicet Domini M C XCIV. sanctimonialis de monasterio *Gerden Paderbornensis* diocesis per quandam dominam venerabilem *Judit* sive *Jutte* adductæ, per quas prædictum monasterium, videlicet hujus dominæ & abbatissæ industria, fuit reformatum. Istud canobium dicitur multum fuisse opulentum & divitiis reditibusque magnis dotatum, ex quibus *Barones* sive *nobiles de Homborch* ditati, & impinguati fuerunt, sicut communiter narratur. Pro prædictorum namque confirmatione est sepulturæ locus abbatissæ, quæ privilegia & bona diversa ad manus hujus *primi Baronis de Homborch*, qui se tanquam illius terræ dominum gerebat, cui amore sinistro & detestabili sociata procurabat, de quibus primo hii ditati testantur. Et non est verisimile, quod prima abbatissa fuit, sed una alia post eam. Prædicta ergo abbatissa de hiis pœnitens in extremis, & se indignam apud suas collegas sepeliri judicans, in fine ecclesiæ, ut vidi, sub turri extra consuetum sepulture sub lapide de calce effigiato elevata & tumulata videtur. Venerabilis ergo Bruno Episcopus sedit annis XVIII. mensibus IX. diebus V. & anno Christi M LV. feliciter ad dominum migravit. Versus:

Victrix Minda dole novo viduata tyrone,  
Ex multis talem vix habitura parem.

## XVII.

**E**ngelbertus XVII in ordine episcopus. Hic antequam apicem præfulatus ascendebat canonicatum Ravenbergensem tenebat, pontificalis modestiæ & gravitatis vir, unde ætate & vitæ innocentia admodum reverendus, à *Hinrico IV.* regales dignitates VI. Kal. Augusti anno Domini M LIX. apud *Polide* (\*) obtinuit. Item apud *Goslariam* bona in *Lezeringen* ad petitionem *Annonis Episcopi Colonienfis* & *Engelberti Magdeburgensis* ob jure & fidele servitium dicti episcopi, quod ipse imperio fecerat, à *Henrico* prædicto anno ipsius VI. domini vero M LXIII. post incendium civitatis Mindensis & ecclesiæ majoris, præsentis Imperatore, sunt impetrata. (\*\*) Unde in privilegio ipsius donationis sic inquit: *Curtem nostram, qua vocatur Lezeringen, in pago Angeri dicto, in Comitatu Otonis ducis, ad restituendum dampnum, quod præfata ecclesia, peccatis exigentibus, in nostra presentia, per incendium contigit, cum omnibus suis appendiciis, id est utriusque sexus mancipiis, arca, edificiis, lignis, & pratis &c. ecclesie tradidimus.* Legiturque, quod hic *Hinricus* Anno Christi M LXII penthecosten *Minde* celebravit. Quo discedente, discordia inter cives & imperii officiales exorta, eo usque coaluit, ut monasterium totum vel pene, ut dictum est, XI. Kal. Junii, hoc est ipso die sancti Albani igni succensum, atque in cinerem redactum est. Quidquid enim gloriosus sanctus *Karolus* & rex *Wedekindus* ex imperiali & regia magnificentia in ornamentis & donariis singularibus ad ecclesiæ decorem ibidem reliquerant, per flammam igneam vorantem deletum. Prædictum ergo monasterium anno X. post incendium prædictum ab eodem *Engelberto* & *Rodolpho Sleywicensi* Episcopis reconstruitum & denuò est dedicatum. Idem præful capellam sancti *Johannis baptistæ*, quæ fori ecclesiæ dicitur, per ignem destructam, & per XIII. annos desolatam, anno Christi MLXXV reconstruit. Tempore hujus miles quidam nomine *Wolframus* XLVIII. mancipia, cum aliis bonis, ecclesiæ Mindensi legavit, cum multis curtibus donavit. Eodem anno ordo *Sancti Augustini*, qui & ordo *Canonicorum regularium* dicitur, primo ab apostolis, postea à prædicto doctore regulariter institutus, sub *Magistro Yvone Episcopo Tornacensi* cepit refflorere. Hic reverendus doctor sanctus nullum alium ordinem in *antiqua cronica autentica* fecisse legitur. Non enim fuit heremita neque monachus, sed clericus & canonicus; factus autem presbyter monasterium clericorum mox instituit, & cepit vivere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam; canonici enim secundum dicta ejusdem doctoris, in canone *clerici* vocantur: unde fecit regulam de *communi vita clericorum*, quæ dicitur *regula beati Augustini*, quam multi alii religiosi postea assumerunt; Inter quos *Præmonstratenses*, *fratres prædicatores*, & longe post *Heremita Sancti Wylbelmi* & *Sancti Augustini*, & quidam alii, in unum collegium convenientes, facti

(\*) Privilegium hoc est in ordine XII. apud Pistor. p. 741.

(\*\*) Hoc etiam Pistorius affert integrum p. 742.



facti sunt de Heremitis Urbanitæ; & assumpserunt prædictam regulam, quæ heremiticæ vitæ omninò repugnat. Et vocatur modo ordo ille *ordo Heremitarum Sancti Augustini*, qui nunquam fuit heremita. Hoc enim patet per verba sua X. libro Confess. in fine. Sic ad Deum, dicens: *contritus peccatis meis & mole & miseriis meis, agitaveram in corde meo, meditatus fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, domine, & confortasti.* Qualiter autem & quo tempore hii Heremitæ ceperunt, dicitur inferius, tempore Johannis XXXI. Sedit autem præful Engelbertus annis XXVI. mensibus VIII. diebus XIX, sepultusque apud ecclesiam Sancti Martini juxta Sigibertum collegam suum, in crastino Sancti Andreæ apostoli Anno M LXXX. in quorum sepulchro hii versus pro commendatione in lapide sculpti habentur:

Præful Engelbertus ipseque prior Sigebertus  
Hic fundatores hilaresque fuere datores.  
Ergo Dei pietas dedit hiis sedes modo lætas,  
Et cum Martino conregnabunt sine fine.

Dedit Engelbertus bona in *Lezeringen, Berchusen*, prope *Munsle*, Curiam *Westenven*, Curiam *Luttiken Bremen*, duo parvas in *sale Lunenborch*, quæ postea domini vendiderunt. Unde idem Episcopus dedit denarios festivos, quæ vulgariter dicuntur *bochtydes penninge*, ut habentur in libro *Præsentiarum*. Obiit ipso die Andreæ apostoli. Item ipso die Andreæ dicuntur vesperæ *Dilexi*, cum cæteris, quod nunquam in toto anno fit, quod dicerentur vigiliæ vespere in festis IX. lectionum. Item de mane ad missam animarum erimus albi, & epistolam & evangelium legunt canonici, & non fiunt genuflexiones ad elevationem; & agitur recommendatio apud lapidem, ac si funus sit præsens.

XVIII.

**R**einardus episcopus XVIII. Hujus etiam tempore anno III. *ordo Carthusiensis* sub *Brunone de Colonia* originem habuit, ut habetur supra in Cronica. Item aquarum habundantia nimio multis in locis dampno fuit & periculo. Nam & in ytalia diluvies tanta fuit: ut rupes liquefactæ plures villas ruina destruerent: domesticæ oves, pavones, gallinæ & anseres à domibus se extrahentes, omnes factæ sunt silvaticæ, & forte ista fuit, de qua narrat *Hinricus de Hervordia*; quod illud flumen, quod est apud *Lemego* fuit tam magnum, quod pertransivit muros civitatis. Sedit annos IX. & dedit pro memoria sua curiam in *Rottorpe*, quæ tunc temporis valebat ad quatuor plaustra communis annonæ. Unde ecclesia non habet modo istam curiam; nam occubuit apud istos de *Rottorpe*. Item dedit domum unam in *Helen* juxta *Eysbergen*; item dedit curiam cum IX. mans. in *Warsborst*. Ecce quam gloriose dotavit ecclesiam suam! Nam usque ad ipsum omnes episcopi fuerunt gloriosi & sancti viri. Nam unus post alium fuerunt veri pastores & multum respectum habuerunt ad ecclesiam suam. Obiit autem prædictus Reynardus anno domini M LXXXIV sequenti die beati Mathiæ apostoli. Unde:

Hic est Reynardus, animosus ut Leopardus,  
Qui quasi flos redolet, & ut aromata viger,  
Unde debetur ei jure corona poli.

Sub isto *Folmarus* hujus successor episcopalem sedem invasit; sed quia male & non per hostium, quod Christus est, sed aliunde & per violentiam intravit, & pessime, morte improvisa & subitanea, prout in sequentibus dicitur, interiit.

XIX.

**V**olmarus episcopus XIX. Hildensemensis ecclesiæ canonicus, in scismate, ut legi in *Ordinario ecclesiæ Hildensemensis*. Dedit bona *Oshrinbusen*, quamvis pro memoria sua peragenda comparavit, cum secundum ecclesiæ ordinarium consuevit, nichilominus memoria sua non agitur; Quia secundum omnes dicitur, quod sit condempnatus, ut infra plenius dicitur; & tamen ignoratur, sed propter invasionem creditur, quod sit interfectus, & quod irreligiose vixit: Et quod Deus volens ostendere, quod bona spiritualia non debent violenter occupari. Alii habent pro ratione, & dicunt, quod opidum *Hamelen* alienavit. Sed ista opinio videtur contraria. Nam ecclesia non habuit tunc temporis aliquod jus: Nec unquam plene habuit, sicut infra dicitur. Sed prima ratio dicitur verior. Quinto itaque sui episcopatus anno, Indictione II. ipsa nocte decollationis Sancti Johannis baptistæ, ut communiter tenetur, occisus prædicatur. De medio ergò hinc per mortem tam inopinatam sublatus, sanctus *Gorgonius* ecclesiæ custodibus apparens, eisque ut signum pro episcopo mortuo consuetum cum pulsû campanæ majoris, per eum propter vitam & conversationem suam nephariam occisum, fieri intimavit. Ut ergo eos firmiter certificaret in prædictis, altaris sui, & beati Petri, pallam occisi sanguine cruentatam & sanguine maculatam, in qua gladium occisionis exterrat, pro interfigno ostendit. Custodes vero hiis auditis festinanter surgentes, & omne



quod eis imperatum fuerat, signis certis inventis, obedienter & cum timore perfecerunt. Palla autem predicta pluribus annis diligenter servabatur, & in predictorum testimonium ostendebatur. Similis casus narratur in *cronica Magdeburgensi*, ubi legitur, quod B. Mauritius unum Episcopum Magdeburgensem iudicavit & postea rotavit, & singula membra confregit. Quod autem in Sancti Johannis decollatione hic occisus fuit, vel saltem obiit, non sine Dei dispensatione, vel saltem permissione, & causa est factum. Ideoque forte utriusque mors simul concurret, ut beatus Johannes capite detruncato sciatur cum episcopo regnare in caelis; inuasor vero Folmarus cum angelis Satanæ horridius ardeat timeatur in pœnis. Dicere &, heu! occisus potuit:

Jam sum dampnatus, tumulari mole gravatus,  
Quem metuunt alii, tartara jam subii.  
Descendi vivus, qua ducit ad infima clivus.

Legitur quod predictus *Folmarus* fuit sepultus in ecclesia & fecit tot strepitus, quod nullus audebat de nocte intrare ecclesiam. Tandem fuit revelatum, quod indignus esset tali loco, sed deberet exhumari, & poni ad locum ubi canes & porci sepeliuntur. Et sic factum est, & dicitur, quod sit sepultus sub capella Sancti Jheronimi in publica strata. Nota, si isti, qui non sunt veri pastores deberent interimi; proch dolor! multi interficerentur. Sed timendum est, quod, quibus jam Deus parcit, qui male regunt, & non corrigit, ut filios, quod postea eos punit, ut homicidas. Nam non est bonum, qui male agunt & non puniuntur: ut habetur in libro Machabæorum. Hoc est signum æternæ damnationis.

## XX.

**O***dalricus XX. Episcopus.* Hic non solum nobilitate natalium, verum & naturæ donis & nobilitate virtutum moralium claruit. Temporibus suis *Merswydis* prædia sua XI. scilicet *Vorwerck*, in pago, qui dicitur *Angeri*, in comitatu Magni Ducis collaudante & confirmante filio suo *Gerbaro*, mundibulo & herede, ecclesiæ nostræ absque omni interdictione & conditione delegavit, Anno ab incarnatione Domini M XCVI. V ydus februarii. In nomine sanctæ & individue Trinitatis. *Odalricus* favente clementia divina *Mindensis* Episcopus, notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, qualiter *Gerardus* vir nobilis, prædia sua in *Holtorpe* & in *Comitatu ducis Magni*, in pago qui dicitur *Grindiriga* & LXXXVI utriusque sexus mancipia, ut habentur in libro privilegiorum II. quaterno. Hic Episcopus paucis annis sedem pontificalem rexisse videtur. Obiit, VI. ydus decembris videlicet in profecto Sanctificationis virginis benedictæ, anno domini M XCVI. Versus:

Sicut solaris obfuscat sydera fulgur,  
Sic multos virtute sua præveniens iste.

## XXI.

**G***odescalcus Episcopus XXI.* Tempore istius duo ordines ceperunt originem, videlicet *Cisterciensis* & *Sancti Johannis hospitalis*, ut habetur supra in cronica. Dedit *Godescalcus* pro memoria sua peragenda curiam in *Reme*. Obiit ipso die *Valeriani* Episcopi anno Domini MCXII. Indict. V.

## XXII.

**W***ibelo XXII Episcopus.* Iste duas domus in *Werben* & in *Gelenbeke* canonicis pro sua memoria ordinavit: Item capellam in curia monachorum de insula qui *mirabilis Broke* dicitur, in honore sanctæ crucis sanctique *Egidii* Anno Christi M CXV. Indictione VIII. consecravit. Temporibus istius *Domina Regulda*, maritali solatio destituta beatum *Petrum* Apostolum & Sanctum *Gorgonium* martyrem suæ animæ suisque omnibus patronos & defensores elegit, & delegavit ecclesiæ nostræ in possessionem sempiternam hæc prædia sua, videlicet in *Linsfen* unum *Vorwerck*, & XXX liales mansos, & unum molendinum, cum cæteris appendiciis, & mancipia utriusque sexus CL. ut habetur in libro privilegiorum. Tempore eodem *Henricus Imperator*, quem in *cronico Saxonum* nequam vocant, sibi rebelles vastat & habetur talis historia supra in cronica. Eodem tempore moniales ordinis Sancti Augustini Monasterium in *Werder* apud *Honover* à comitibus de *Wunstorpe* sive *Levenrode* fundatum de monasterio *Overnkerken* assumptæ, ipso die sanctæ *Katherinæ* virginis intraverunt. Migravit *Wybelo* ad dominum anno Domini MCXX. Indictione XIII. in die Sanctorum *Innocentium*. Versus:

Sedavit quæ tum vox lacrimosa precum,  
Quos fructus habeat simplex oratio justi,  
In precibus *Moyfi* quisque notare potest.

## XXIII.



XXIII.

**Sigewardus XXIII.** Hic Deo gratus & hominibus, à parentibus nobilibus *Adolpho de Scho-  
wenborch* seniore, suo nepote, monasterio sancti Petri in Minda puer oblatuſ Dei ſervitio  
mancipatus eſt. Tandem per diverſos beneficiorum & dignitatum ſucceſſus de communi  
conſenſu & pètionè fratrum promotus, proviſor & paſtor eccleſiæ Mindenſis eſt conſtitu-  
tus. Hic pro ſpe retributionis æternæ, hereditatis ſuæ prædia & mancipia juxta fluvium  
*Leynam* in *Sutheren*, *Bedeben*, *Weſterendambuſen*, *Wechterden*, *Helmenhorſt* cum omnibus pertinentiis  
eccleſiæ legavit. Similiter & centum manſos dedit: Eccleſiam in *Tadenbuſen* plumbo cooperto ex  
quadris lapidibus ſtudioſe muratam, cum quatuor altaribus, ex propriis ſumtibus, ad ho-  
norem XI milium virginum fundavit, intus picturis decoravit; & ibidem oſtenditur ſedes  
ſua de ſtraminibus artificialiter facta, quæ ultra CCC annos duravit, quod impoſſibile, niſi  
ex ſpeciali dono DEI eſt. Hæc, inquam, Eccleſia villana, quam habet Mindenſis ſedes: Un-  
de ſtatuit, ut hæc eccleſia nulli, niſi ſacerdoti, qui ſtabiliter ibidem habitaret, deoque ibi-  
dem fideliter ſerviret, conferatur. In introitu hujus eccleſiæ hoſ verſus in lapide inſculptos  
vidi:

Sum, quod eram, nec eram, quod ſum, modo dicar utrumque,  
Tene, præbe juſtè, prudenter, honeſtè.

Hic præful à domino Comite, apoſtolice ſedis legato in dyacono cardinali ordinatus & con-  
ſecratus eſt, præſidente & jubente domino univerſali *Papa Calixto*, regnante glorioſo *Hinri-  
co V. Romanorum Imperatore auguſto*: & ſicut tibi mitram impoſuimus, id eſt, quod talis legatus  
ipſum ſolum conſecravit ex ſpeciali mandato domini Papæ. Aliàs debuiffet conſecrari à tri-  
bus episcopis, ſed ipſe eum ſolum conſecravit in die palmarum in eccleſia Mindenſi III.  
Kal. April. anno incarnati verbi M CXXIV. Indictione II. Et ego *Goſfridus Notarius* jubente do-  
mino Comite diacono cardinali ac Romana eccleſia legato, teſte tota Mindenſi eccleſia, ſubſcripſi & ſigna-  
vi. Tempore hujus quædam nobilis matrona *Cunegunda* nomine eccleſiam in *Degber* & præ-  
dium cum omnibus ſuis appendiciis & mancipiis in placito Comitum *Theoderici de Holtbuſen* (&  
eſt *Holtbuſen* prope opidum *Hamelen*) ſancto Petro contulit. Similiter & quædam ſancti-  
monialis in *Wunſtorpe* dicta *Rafmodis* diverſa prædia eccleſiæ prædictæ dedit. Item *Gerbur-  
ga*, matrona quædam nomine, filiusque ejus *Thyetmarus* omnem proprietatem ſuam, quam  
uſque ad tempus illud hereditario jure poſſederat; Videlicet in *Gernbuſen*, in *Langvohen*, (\*)  
in *Honhorſt*, cum omnibus ad hæc prædia rite pertinentibus, in mancipiis utriusque ſexus,  
in areis, in ædificiis. Hæc autem traditio facta eſt in pago *Merſtemen*, (\*\*) in loco *Lindard*,  
in mallo *Wedekindi de Swalenberg* multorum nobilium ac liberorum judicio ac teſtimonio firmata  
ac roborata. Hujus mater prædium ſuum apud *Lutteken-Bremen* pro lumine nocturnali altaris  
ſancti Michaelis contulit. Hujus tempore ſcrinium reliquiarum quoddam ſingulare cum reli-  
quiis pretioſis datum eſt eccleſiæ Villanæ juxta opidum *Hamelen*, nomine *Holtbuſen*, in quo  
ſcriptum & ſculptum inveni: *Regente ſanctam Mindenſem eccleſiam venerabili Sigewardo Episcopo, qui  
banno ſuo ſanxivit, ſi quis hoc decus quocunq; modo eccleſiæ huic abſtulerit, anathema eſſet. Item or-  
do Templariorum, anno M CXXII incepit, ut habetur ſupra in cronica. Temporibus iſtius  
moniales ſancti Auguſtini, locum, qui dicitur Werder prope Honover intraverunt; ante-  
quam enim moniales antediçtæ locum & monaſterium prædictum intraverunt Canonici re-  
gulares inhabitabant; qui propter vitam & converſationem eorum nimis ſecularem ejecti  
fuerunt: & moniales de monaſterio *Overenkerken* &c. ſupra in Geſtis XII. Episcopos  
anno Domini M C XIV. intraverunt. Item habetur hic de monaſterio *Leveren*, (\*\*\*)  
ſed hic ſuperſedeo, & infra de iſto monaſterio dicetur. Tempore hujus *Henricus Leo* dux  
brachium ſancti *Gorgonii* pulchre adornatum eccleſiæ contulit. *Sygewardus* venerandus  
antiſtes, poſtquam annis XX. menſem unum, dies XVI. glorioſe rexerat, ipſo die *Vitalis*, in  
die ante *Philippi* & *Jacobi*, anno domini M CXL, indictione III. obiit. Sepultus eſt  
in medio eccleſiæ *Tadenbuſen*, de qua ſuperius eſt dictum. Dictum pro memoria bona in *Su-  
theren*, juxta caſtrum *Sturwold*, in dioceſi *Hildenſemenſi*. Eodem die eſt memoria ducis *Hin-  
rici Brunſuik*: Unde domini (\*) legunt evangelium & epistolam ad miſſam. Verſus:*

M. cum centento triginta ſic quoque deno,  
Præful honorandus meritis obiit *Sigewardus*,  
Hinc dolet eccleſia, cui dedit ipſe ſua.

Nota: iſti centum manſi habent monaſteria, ut *Barſingebuſen* & alii, & militares circa *Dether*.  
Unde poſtea frigeſcente caritate Episcopos & Capitulum diſperſerunt iſta bona, quæ ſanctiſſi-  
mi episcopos & alia honeſtæ matronæ & viri religioſi dederunt, ſicut patet ſuperius, in geſtis  
episco-

(\*) Maderian. *Langvohere*.

(\*\*) Mader. *Merſtemen*.

(\*\*\*) Mader. *Leneren*.

(\*) Mader. pro domini legit *diſtum*.



episcoporum. Nam uni datur in emphiterotum, (\*) in feodum alteri, & per istos modos tam episcopus, quam capitulum depauperati sunt. Nam hodierna die, si unus mansus ad Episcopum venit liberius, statim alteri impignoratur carius, quam ante fuit. Aliter fit per capitulum. Unus permittit bona sua cum capitulo, semper cum dampno ecclesie. Nam si ecclesia habet aliqua *pecia* sive *morgen landes*, statim acquiritur per laycos ad vitam, & sic annis X. elapsis, tunc est hereditas illorum laycorum, sicut luce clarius apparet. Et sic de die in diem venit ecclesia ad inopiam, sed quando iste, qui peregrè profectus est, revertitur, & vult rationem ponere, quam dicturi sumus, tunc valde gravis est sententia, qua dicitur: *Ligate cum manus & pedes, & mittite in tenebras, ubi erit fletus & stridor dentium, quousque solvat ultimum quadrancem.*

## XXIV.

**H**istoricus primus, quondam abbas sancti Mauriti in Insula, ordinis sancti Benedicti Mindensis XXIV. in ordine Episcoporum. Iste monasterium ut dictum est tempore Brunonis, *Kemmenade*, Anno Christi M C LII. Indictione XV. III. ydus Julii consecravit. Anno eodem turris ecclesie sancti Martini in honorem sancti Nicolai Episcopi fundata fuit. Et dicebatur turris sancti Nicolai propter capellam subtus constructam. Tempore hujus cenobium *Schynga* monachorum ordinis sancti Benedicti, in honorem sancti Viti martyris, per *Comites de Hallermunt*, Anno Christi M C XLVIII. fundatum est. Hujus monasterii primus abbas de monasterio sancti Michael in Hildensem assumptus est. Cujus ecclesiam hujus successor *Wernerus*, Kalendis Novembris, Anno Christi M CL. Imperii Friderici II. anno ordinationis sue primo consecravit. Item monasterium in *Lucka* ordinis Cisterciensis, sub honore sancti Georgii martyris, Anno Christi M CLXIII per *comites de Hallermunt & de Oldenborch*, qui fuerunt heredes *comitis de Lucka* & successores sui. Et fuit magnifice institutum in omnibus, tam in ædificiis, quam in bonis. Nam habent unam curiam in diocesi Hildensemensi, quæ habet XVI. aratras. Nam ego audivi ab uno fratre de monasterio, quod habent & habebant sub Wysera CCCL. mansos: & habent curiam in *Latbe*, ubi semper habent unum dispensatorem. Et forte sunt ista bona, quæ primitus Sanctimonialia in *Lemego* habuerunt, quando ibi moram traxerunt. Item habent bona sua undique. Nam habent monasterium *Plotowe* incorporatum: item habent sub se monasterium sanctimonialium in *Leveren* & in *Rulle*, in diocesi Osnabrugensi. Item est eis incorporata ecclesia in *Gestorpe*, de qua solebant annuatim X. florenos. Item habent alia multa beneficia ad conferendum. Monasterium fuit optime ædificatum in omnibus necessariis. Nam omnes *artifices mechanica artis* habuerunt ibi habitacula secundum placitum; Videlicet sartores, futores. Nam dicunt, quod domus fabri fuit ita disposita, quod quatuor fabri stabant ad unum locum & quilibet laborabat ad libitum suum. Sic qui facereat pannum, sic habebat quilibet locum aptum sibi secundum artem suam. Item fuit ibi domus braxatorum opulente constructum, in qua erant omnia utensilia excisa de lapidibus; Et ista domus fuit destructa per ignem. Nam dicitur unus *truphator*, (\*\*), qui solebat respectum habere *uppe den daven*, & ex negligentia istius totum ædificium est destructum. Similiter multa alia ædificia desolata sunt ex defectu tectorum. Monasterium in se fuit pretiosissimum factum. Nam ecclesia est optima & cum multis altaribus & apud quodlibet altare habuit proprium fontem: & in ipsa habuerunt conversi istius monachi ultra LXX sedes: & chorum est bene dispositum & magnum: & altare est maximum & de lapidibus doleatis & quadratis. Et habet ambitum pulcherrimum cum fenestris & vitribus per totum. Et habet refectorium & alia ædificia in copia. Nam & abbas habet propriam habitationem cum coquina propria, & quem invitat (\*\*\*) secum comedendo, potest carnes comedere. Nam habent abbatem priorem & Cellerarium & burfarium, & isti habent regere & disponere cenobium cum scitu abbatis. Et fuit primitus pretiosius tam in ædificiis, quam in redditibus. Nam habent habundanciam frumenti: habundat etiam in piscibus, quia habet piscaturam in Wysera, quæ habet uno anno ad CC vel CCC esones, & alios pisces in copia. Carnes ultra modum: nam habent propria nemora & sylvas hinc inde; & habent de quatuor elementis non tantum sufficientiam, sed habundantiam: & non habent simile ab Alara usque ad Renum. Sed unum maximum defectum patiuntur, qui destruit totum superius narratum: quia pax & caritas non habent locum; quia volunt omni anno habere novum abbatem: & sic habent tot visitationes & visitatores, quod de anno in annum ad inopiam, quod vix habent modo victum & vestitum, propter suas *truphas*. Nam talis habere vult officium tale, & talis tale; & *inburfant* undique, quod modo male stant. Nam habuerunt unum bonum socium pro abbate non multum literatum sed tamen expertum & diligentem circa bona monasterii, & iste moriebatur anno domini M CCCC LVIII. XIV. die post festum pasche. Tunc elegerunt unum de mediocribus, dictum *Arnoldum Petersbagen*, & iste etiam satis est diligens, Et qui desi-

(\*) Mader. *Emphiterotum*.(\*\*) *Truphator*, planus, nugator. Vide *Vossium de vic. fern.* p. 316.(\*\*\*) Mader. *visitant*.



desiderat, qualiter fuit dispositus in primo flore, videat cenobium *Dabberan*. Nam istud habet veram dispositionem, sicut fuit in principio. Et ista sufficiant de ipso pro presenti. Nam habent jurisdictionem temporalem & Spiritualem & villicos & litones. Et multi militares habent ibi jus sepeliendi, sicut de *Monichusen* & de *Mandelslo* & quam plures alii. Post hoc *Adolphus comes de Schowenborch senior* annis sex elapsis *Lubeke* civitatem egregiam fundavit, & uxor sua fundavit *Honborch*; sed non est verisimile. Nam *Homborch* multum excedit istum numerum in fundatione. Tunc *Adolphus filius ejus* complevit *Lubbeke*, & annis quam IX supervivens octava Apostolorum Petri & Pauli à Slavus perfidis apud urbem *Demyn* occiditur. Anno domini C LXIV est *Mindam* adductus & in majori Ecclesia sepelitur. Nota: de fundatione *Schowenborch* dictum est supra in Gestis XI Episcopi, modo dicendum est aliter. Nam primo originem duxerunt à dyocesi *Magdeburgensi*. Isti, qui primitus hic venerunt fuerunt duo fratres & habuerunt hi unum fratrem pro Episcopo & fuit forte Episcopus *Bruno*; (\*) & fuerunt comites & habuerunt unam comitiam, quæ dicebatur *Zantersleve*, & habuerunt tunc pro armis unum blavum leonem in albo campo, quod modo habent. Isti dicti post, etsi comites de *Schowenborch*, habent ibi adhuc duas ecclesias ad conferendum; Et ibi fuerunt duo castra, videlicet *Santersleve* & *Schakenleve*; & prædictus comes de *Schowenborch* habet ibi adhuc ad conferendum bene M CCC mansos in pheodum: & sic inde primo traxerunt originem, & tunc construxerunt *Schowenburch* sicut superius est notatum in Gestis XV. Episcopi. Sed Comitiam *Holsatiam* acquisiverunt, quando construxerunt Comites *Lubeke*, longe post *Schowenborch*. Tempore *Henrici* monasterium in *Lucka*, ut superius est dictum, per comitem de *Hallermunt*, *Hilbrandum* de *Oldenborch*, ad quos comecia de *Lucka* jure hereditario fuit devoluta anno domini MCLXIII. fundatum est. Hic *Hilbrandus* tres filios habuit videlicet *Borchardum*, *Ludolfum*, & *Wylbrandum*. Primus apud *Nigenborch* in tormamento moritur, reliqui duo comites, *Adolphus* de *Schowenborch* (\*\*) per *Casarem Lotharium* vocati, *Borchardus* Antiochiæ moritur, tertius vero reversus statim obiit & apud fratrem in *Locken* sepelitur. Istis temporibus sanctus *Viscel* (\*\*\*) de parochia *Mindensi* *Hamel* opido oriundus episcopus *Oldenburgensis* consecratus, multis miraculis clarus, anno Christi M CLIII morte felicissima dormivit in domino. Item *Henricus* monasterium *Kemenade* dictum, primo à *Brunone Mindensi* consecratum ad petitionem *Wieboldi Corbeyensis* abbatis iterum anno M CLII. (\*) Indictione XV. III ydus Julii reconfiliavit. Hic dedit domum unam in *Gelenbeke* & decimam in *Arlaghe*. Sedit autem annis XII. menses XI. dies tres. Obiit autem anno domini MCLVI. ipso die Sanctæ Pontianæ Virginis, sepultusque in *Bursfelde* monasterio.

XXV.

**V**Ernerus XXV. Episcopus. Dicitur *Wernerus* a narus, quod est sciens, id est peritus, qui ex arte scit, qualiter aliud fiat, vel sit faciendum. Huic aliquando secundum catholicon apponitur litera g. per prothesin, & jam gnarus idem. In episcopum creatus satis desolatam ecclesiam inveniebat, ut in quodam privilegio invenisse querulatur. Unde inquit: Nos enim postquam ad præfulatus apicem, licet indigni, conscendimus, tenuitatem, immo omnimodam desolationem ecclesie oculo cordis intendimus: & quoniam viribus nostris nobis adeptis non multum potuimus, aliquatenus tamen eidem proficere studuimus. Unde prædium in *Gerbolde* pro XL. marcis cum multis mancipiis comparavit & Ecclesie contulit. Item unam domum *Alvesen* dedit. Iste fuit primitus Ecclesie *Mindensis* Præpositus, fuitque domini *Wylbelmi* Imperatoris consanguineus. Item procuravit à *Raymulde* abbatisa in *Wunstorpe*, quod dedit sibi curiam suam in *Holibusen* juxta *Schakesberge*, ubi voluit prædictus Episcopus unam habitationem habere; pro qua dabit sibi annuos redditus in *Runnenberge* in recompensam ad vitam. Præbendas Canoniorum primo ordinavit: Nam antea regulariter simul in refectorio comedebant. Item quatuor vicarios instituit. Item dedit curiam unam *Gelenbeke*, unde constituit dari XXIV. canonicis de sancto Martino X solidos ob reverentiam sanctæ Mariæ Magdalenz in suo festo. Sub isto præfule fuit quidam miles famosus. *Mirabilis* nomine, & forte de istis nobilibus dictis de *Arnheim*, & secundum nomen suum mirabilia gessit: Nam legitur de ipso, quando adhuc vixit in flore, quod unus presbyter in confinibus suis visitabat infirmum cum viatico, purgans ventrem suum & deponens viaticum. Quo factò non potuit levare corpus dominicum de terra. Tunc audiens dominus *Mirabilis*, dixit: lavate manus, & videte quid tunc. Quod sacerdos faciens recedebat statim cum sacramento. Tunc *Mirabilis* in una pestilentia fuit omnibus heredibus suis orbatus: & hoc fuit maxime à Deo dispositum, ut sic Deum in heredem constitueret. In nomine sanctæ & individue Trinitatis, *Wernerus* Dei gratia *Mindensis* ecclesie Episcopus, scire dignetur fidelium nostrorum tam futurorum, quam presentium caritas, qualiter quidam homo nobilis, nomine *Mirabilis* humano satis destitutus solatio, orbis etiam spe & præsidio liberorum ac fratrum

Z

sua-

(\*) Vide quæ Meibomius notavit ad Chron. Schaumburgense Leerbecii p. 45.  
 (\*\*\*) Maderus: reliqui duo, Comite Adolpho de Schowenborg &c.  
 (\*\*\*) Mader. Viscelinus.  
 (\*) Mader. MCLIII.



suorum, quos ei Deus dederat plures, beatum Petrum Apostolum in Minda & sanctum Gorgonium martyrem animæ suæ suisque omnibus patronos ac defensores elegerit. Mortuis namque omnibus suis pueris ac fratribus terrena hereditate sua regnum sibi calorum mercari desiderans, consentientibus & collaudantibus suis sororibus Gerburch & Hilderwyb, laudante quoque marito & mundiburdo alterius sororis Conrado (nam altera virum non habuit) delegavit ecclesia nostra omnia prædia sua in proprietatem & possessionem sempiternam: Videlicet in Broke cum omnibus appendiciis suis & pertinentiis, cum mancipiis utriusque sexus. Ministeriales quoque suos cum prædiis & mancipiis, quæ ipse in beneficium illis concesserat, Winesborpe, Elmechborst, Menstede, Wackervelde; in Eckenvelde IX. mansos, Edwardinhusen, in Werbeke curtim unum cum suis appendiciis. Et fuit parochia sua in Horsten, unum Vorwerk, cum tribus mansis, ibique mansum, qui pertinet ecclesia in Getenburg; in Sylbeke curtim, cum VII mansis itemque ibi II mansos, Ecclesia in Getenburch pertinentes; Ecclesiam in Getenburch cum omnibus pertinentiis suis, uno videlicet Vorwerk cum VII mansis; itemque II mansi in eadem villa, itemque II. itemque I. In Surberen unum Vorwerk cum IV mansis, & molendinum in Endeennenshusen; (\*) duo molendina Sybusen; ecclesiam in Steynborch, cum omnibus suis appendiciis, & mancipiis; Videlicet in mansis dotalibus: Unum Vorwerk cum VI mansis, item unum cum VI. item ibidem II mansos; in Rentelen II mansos; in Engeren unum Vorwerk cum IV. mansis; in Northeym curtim unum cum VI mansis. Itemque in eadem villa II mansos & dimidium cum area. In Lachtorpe unum mansum; in Bevesen II. in Mundere I. mansum, & II. panstal: in Uizenborch VI mansos; in Thornethe II mansos; in Walestorpe II mansos; molendinum I. in Roden; ecclesiam in Swannestede cum omnibus suis appendiciis, mansis videlicet dotalibus XVIII; ibique I Vorwerk cum IV mansis; item IV. item I. mansum; in Oldensvermenstede II. mansos. Item in Basse III mansos; in Vastelingeborstel IX mansos molendinum I. prædium I. in Mirembust, (\*\*\*) in Bevesen IX. mansos; in Lutmersen III mansos, in Hukeshole VI mansos, & saltum, & molendinum juxta Lacholte; in Achelestorpe X mansos; in Ambode V mansos in Helstorpe II mansos; in Oreihe I Vorwerk cum IV mansis; item III mansos; itemque II item unum: & sunt modo CXL. mansi. Hæc prænominata prædia & alia cum omnibus suis pertinentiis, areis, ædificiis, agris cultis & cultores &c. dedit prædictus Mirabilis cum omnibus quæ nominari possunt; silvis piscationibus. Venimus in præsentiam, nobilissimi Viri, Ducis Saxonie & Bavariæ Henrici, ibique coram illo præfatam traditionem seu donationem à Mirabili factam legitima stabilitate recitavimus & coroboravimus multaque probis ac nobilibus in Angarica lege eruditis, nobis annuentibus & cum omni alacritate nostra ællioni consententibus, ipsoque duce consentiente, & auctoritate sua pacem nobis per gratiam suam confirmante. Nos vero Wernerus devotionem ac pietatem religiosi viri diligentius attendentes in fraternitatis nostræ consortium eum recipientes plenam præbendam cum omnibus suis appendiciis concessimus: Et si Theodericus cognatus suus post mortem superstes existeret; Idem Theodericus eandem præbendam usque ad finem vitæ suæ teneret. Et multi testes habentur in eodem privilegio. Postea maxima controversia facta est inter capitulum & Episcopum ex una, & monasterium in Insula super istis bonis. Nam monasterium dicebat, quod sibi prius fuissent ista bona dotata per dominum Mirabilem. Et sic causa fuit delata per monasterium ad curiam Romanam. Tandem dominus apostolicus commisit eandem causam venerabilibus patribus Monasteriensi & Osnaburgensi Episcopis decidendam: Qui hinc inde causis cognitis pronuntiaverunt sic: Quod monasterium retinuit curiam Brock & Episcopus Mindensis destruebat ædificia istius curiæ, quod idem Episcopus deberet se componere in amicitia cum prædicto monasterio. Item Ecclesia in Getenborch manebat apud monasterium. Et ista controversia forte facta est tempore Annonis Episcopi Mindensis: Nam fabulose audivi unum versum:

Moritur in banno Mindensis episcopus Anno.

Nam prædictus dominus Mirabilis voluit primitus unum monasterium institui in sua curia Brock, in honorem sancti Ægidii, propterea dedit prædictis Monachis ista bona. Sed mutata voluntate sua donavit omnia bona sua beato Petro sicut superius est dictum. Dedit prædictus Mirabilis pro memoria sua curiam in Nezen & istum campum apud monasterium in Insula cum VIII vel IX mansis. Moritur anno domini MCLXVII in octava Mariæ Magdalene, in ecclesia majori ante altare beatæ Mariæ virginis ad aquilonem sepultus est. Tempore Wernerii Henrici qui & Leo dictus curiam suam in Villa Lorben five Lode dictam dedit Ecclesiæ Mindensi anno domini MCLXVIII. Indictione prima, quando idem Hinricus filiam regis anglie Mechildam Kalendis Februarii Minda subarravit: & super basin lapideam leonis effigiem, quasi colossus suum, cum ipse Leo vocaretur, in Brunsvick erexit. Est autem Colossus five colusus aliqua res in memoriam alicujus mortui, ut tumuli & ymagines apud antiquos: vel dicitur statua marmorea & alta & dicitur colossus quasi colens ossa. Igitur præsul Wernerus, postquam annis XVII. mensibus IV federat, in vigilia beati Martini Episcopi Anno Domini M CLXX transfuit ad dominum. Versus:

Iste preces mundas porrigere, Christo laborat,  
Qui (\*\*\*) pro offensis æmulis suppliciter orat.

XXVI.

(\*) Mader. Emmensbus.  
(\*\*) Mader. Mirembust.  
(\*\*\*) Mader. quarda.



XXVI.

**A**nno episcopus XXVI. Iste ex Comitibus de Blankenburg multa bona in Episcopatum fecisse legitur. Capellam & castrum veteris Buckeborch cum suis pertinentiis, ut tempore Laudarii five Lauderii Episcopi dictum est, Anno Domini M LXXX comparavit, & monasterio Overkerken contulit Monasterium sancti Godebardi apud Hildensem & ecclesiam in Honrade, quæ olim Harode dicebatur, à constructione castri ibidem, anno III. in honorem sancti Petri & Andreæ Apostolorum, Anno Christi M CLXXII consecravit. Monasterium Sancti Petri Sanctorum pignoricum de diversis locis, per interventum Imperatorum & aliorum principum ytaliz, quinque servicia corporalia frequentius impendebat de locis diversis collecta ad tuendam suam ecclesiam & patrocinandam, prout habetur supra in capitulo de reliquiis. Itaque ceteris tempore Engelberti per ignem absumtis solæ Mariæ Magdalenz ex igne intactæ manentes inveniuntur. Unde post multum temporis canonici quidam miraculi gratia dictas reliquias in quodam capite argenteo honorificè locaverunt. Cum vero imponi debebant Bruninghus de Engelborsten tunc Ecclesiz Decanus, in verba blasphemiz prorupit: *propter tantillum, inquit, reliqui offis tantas expensas fieri non oportere.* Unde reliquiis sanctis irreverenter tactis subito pustula magna cum tanto apparuit dolore, quod ex reliquiarum contactu manum suam perforatam esse æstimabat. Actum enim carnis illicitum sibi nocte præcedenti perpetraverat, prout conscientia pulsus falsus est. Facto ergo voto, quod de cetero ad consimilia linguam non relaxaret, dolor quidem cessavit; sed blasphemiz testimonium, videlicet pustula, per aliquot dies pro miraculi evidentiâ remansit. Transacto byennio post hæc Gorgociense canobium, ubi sanctus Gorgonius requiescit, causa devotionis visitans fraternitatem inter Ecclesiam Mindensem & dictum monasterium pridem habitam renovavit. Hic venerandus pontifex ex comitibus de Blanckenborch ortum habuit, & prius fuit hic Canonicus & præpositus Sancti - - - Hujus mater domina Oda ecclesiam B. Petri enceniare & honorare volens, ad perpetuam hujus præfulis & sui memoriam ymaginem virginis benedictæ pretiosam argenteam & deauratam, pannum sericum pretiosum paganico more & artificiosè compositum, sub quo crisma benedicendum deferri consuevit: duo dorsalia pro utroque choro, passiones Petri & Gorgonii continentes, de opere textili. *Voce DEI tractus Petrus sua linquit arctus. Languens sanatur de morte Thabita levatur. Hiis fidei munit - - - Claudus curatur, gens admirans letatur. Jussu Neronis verbera cruce luit. Petrus mundanum pelagus spernens quasi vanum, quas verbo tractas & ad ardua littoris æthas Gentes instruxit, quasi secum trans mare duxit. Quo merces fidei sancte locus est requiei. Sis, benedictè DEUS, Gorgonius & Dorotheus, Pro quo tormentis plecluntur nec monumentis Regis stectuntur, sed Christum morte sequuntur: panarumque metum derident, sal & acetum Sperrunt, asstantur, laqueis demum cruciantur. Confessor fidei sacra socius Dorothei Sprevit tortorem, mundi contempsit honorem, Ut sic cum Christo mundo salvetur in isto, Consiliatque Deo cum consocio Dorotheo. Cortinam insuper magnam valde omnes cortinas, quas vidi, magnitudine præcellentem, multas magistrorum & poetarum sententias & proverbialiter infectas: materiam epistolæ Pauli, videlicet sancti per fidem, principaliter intextam pro monasterii & chori decore anno domini M CLVIII factam per quosdam nomine Rederich & Conegunt. Versus:*

Rederich & Cunegund me - - - composuerunt,  
Pro spe cælestis regni dominoque dederunt.

Insuper in prædictæ cortinæ circumferentiâ infra dicti versus videntur:

Qui legis flores virtutum collige mores,  
Philosophos sequere, bene fac, vitia cave;  
Parcius utaris verbis & honesta loquaris;  
Et bibe raro vinum, quia turbant pocula verum.  
Nam non vinosus homo fit magis amicus.  
Sit tenuis victus, cum potu parcus amictus.

Insuper crucem in altari majori dedit. Hujus patrem comitem in Wytesem intellexi habitasse: & est infra Erfordiam & sylvam Harthe. Quo mortuo tres filii sui ad curiam Imperatoris per promotionem nobilium consanguineorum venientes, imperii negotiis & causis & strenue intendentes operam dederunt. Tandem Comite de Regensene, Halberstadenensis diocesis, de medio per mortem absque herede sublato, Imperator eorum servitii fidelis non immemor dicto dominio prædictos tres fratres inphæodavit, & heredes constituit. Ex hiis tribus hic Anno assumtus est & Episcopus creatus. Nec prædicta lectorem moveant, in quibus aliqua contradictio videtur esse. sed minime. Hui enim relicto Wytesen (\*) suo patrimonio titulum Comecia Regenstein, (\*\*) qui Comites tunc de Blankenborch dicebantur. Et istud Wytesen fuit forte in comecia. Hic Anno cum monachis de Insula propter bona a nobili viro, Mirabili no-

Z 2

mine,

(\*) In Cod. Mader. legendum videtur *Wwitesee*. Est autem *Wwitesee* Thuringiz oppidum.

(\*\*) Omissum: *acceperunt*, vel: *assumserunt*.



mine, prædicto monasterio legata non bene concordabat ymno in lite diu steterunt. Qua de causa Hermanno Episcopo Monasteriensi ex commissione Apostolica sedis abbas Insulæ Mindensis literas domini Apostolici dedit, de querimonia, quam fecit adversus dominum Mindensem. Itaque Osnaburgensi Episcopo & ejusdem ecclesiæ Præposito Leufrido, & decano Joseph, Præposito quoque majori Monasteriensi, Præposito Bernhardo, decano Bernhardo, & Vice-domino Fracone, & majori Hildensensis Ecclesiæ præposito Bartholdo, præsentibus; adhibitis etiam eis, quibus Dominus Mindensis sua credidit consilia, videlicet ejusdem ecclesiæ majori Præposito Dethmaro, & Wernero Halberstadeni Canonico & Præposito in Bosselef & Præposito in Overenkerken; adhibitis etiam, quibus abbas credidit consilia, decano Ecclesiæ Remwardo & præposito in Walvesrot, & suæ Ecclesiæ priori, cum duobus monachis. Qui ita determinaverunt, quod curia Brok apud Monachos maneret: & sic per istos supra dictos sopita est lis. Hic sedit annos XIV. mensem unum, diem. Hic procuravit omnia sancta corpora & omnes reliquias, sicut habetur in capitulo de reliquiis; Et in crastino Valentini Anno Domini MCLXXX migravit ad dominum.

## XXVII.

**D**ethmarus in ordine Episcoporum XXVII. Hunc Dei virum & miraculis clarum intellexi, & in vita Sancti Godehardi Episcopi, monachum in Bavaria de monasterio eodem, quo sanctus prædictus, videlicet Althahensi, assumtum inveni. (\*) Versus:

Præful Dethmarus, Bavarus natu, Deo carus,  
Hic Mindæ Præful virtute, gloria, fulget.

Iste à Henrico VI argentifodinam, quæ juxta villam Debemuhl, Kruckeberge esse dicitur, accepit tali conditione apposita, ut episcopus duas partes, tertiam vero imperium tollat. Et locus iste est in diocesi Mindensi. Datum apud Nannensene, anno domini MCLXXXVIII. Indiætioue VIII, Kal. Aprilis. In nomine sanctæ & individue Trinitatis, Dethmarus sanctæ ecclesiæ Mindensis episcopus. Notum facimus omnibus Christi fidelibus, qualiter domina nobilis Mechildis, nobilis de Ricklinge vidua, filiabus suis, cum filios non haberet, patris hereditatem divisit, ac viris nobilibus comparibus ipsarum quasdam nuptum tradidit; quasdam vero ecclesiastica religioni & sanctorum associavit: partem etiam hereditatis ejusdem, quam à domino & marito suo Remberto nomine in Dotem contracti matrimonii acceperat, usibus suis possidendo conservavit: Terrena hereditate regnum celorum mercari desiderans ecclesiæ nostræ dominos ac patronos, beatum scilicet Petrum, apostolorum principem & sanctum Gorgonium martyrem anima sua intercessores & defensores ad Deum elegit, & omnem hereditatem quam à parentibus suis acceperat, omnia quæ scribi vel nominari possunt, in ecclesia nostra Mindensi ad altare beati Petri ipsa mater cum filiabus obtulit. In Affendorpe VIII. mansos in Holberge VIII mansos, in Mont II mansos, in Alethen XVI mansos, in Thintebergen V mansos, in Veltbeyn XI mansos, in Bendissen III mansos, in Gummere IX mansos, in Linde VII mansos, in Ricklinge XVIII mansos, in Hemminge III mansos, in Waterberge X mansos, in Achim VI mansos, in Gese VIII mansos, in Oldendorpe II mansos, in Helen IV mansos, in Mulbergen II mansos, in Helenhusen V mansos, in Hedenhusen IV mansos, in Lasbike VIII mansos, in Sesehusen IX mansos, in Amenthorpe II mansos, in Wagirth I mansum, in Strarmiffte (\*\*) I mansum, in Selsse V mansos, in Blanden XII mansos cum Ecclesia, in Overberge II mansos, in Emenchusen VIII mansos, in Bodenhusen II mansos, in Offlichte I mansum, in Stockin I mansum, in Wegirthe I mansum, in Emplibe V mansos. Summa mansorum, quam dedit devota ac religiosa domina Mechildis de Ricklinge in numero centum nonaginta quatuor mansos. Testes, comes malli Hermannus de Arnheim, Albertus comes de Popenborch. Prædia quædam ab ecclesia Hildensensis videlicet Bochalte & alios ejusdem juris mansos comparavit. Horum pro comparatione & subsidio Hinricus plebanus in Ovenstede quondam, & ceteri ecclesiæ ejusdem parochiani, Episcopo Dethmaro communicantes, de quadam tabula altaris metallizata, & quibusdam vasis fabrefactis, quæ ex traditione fundatorum ad ornatum & insigne quoddam ecclesiæ ex antiquo habebant, situ & vetustate collapsa; partem etiam de rebus propriis & fidelium elemosynis XII marcas collectas ibidem addiderunt pro istarum rerum recompensatione. Idem præful prædium unum in Wanhufen, ecclesiæ in Ovenstede, ut ex redditibus de prædicto prædio provenientius facta tecta ecclesiæ, & ejusdem ruinæ restaurarentur, legavit. Hæc ex ecclesiæ Mindensis privilegiis. Ecce quanti viri, ut ex prædictis elicitur, hanc ecclesiam fundaverunt, & quam fideles & devoti Sancto Petro & suæ sedis vicario leguntur fuisse, qui tantum ornatum pro ecclesia villana & eorum propria facultate comparare poterant, ut eorum posteris pecuniis, ut apparet, ecclesiæ Mindensi in tali necessitatis articulo subveniente contribuere voluerunt! Revera continua pax & diuturna terræ requies à bello & præcipue libertas magna, qua olim hii gaudebant, & ad Deum devotio, horum probitatem ad prædicta consiliari faciebat. Hii enim & quam plures alii, liberi beati Petri vocabantur. Quanti meriti hic præful fuit, & sit apud Deum, narratur sic. Nam præfatus Episcopus volens

(\*) Vid. vitam S. Godehardi Cap. I.

(\*\*) Mader. Strarmiffte.



lens scire meritum, adiit super hoc orationibus suis Deum; qui tandem accepit responsum, quod in merito æquaretur bubulco in *Dutzen*. Quo accepto, volens scire vitam ipsius pastoris (nam magnæ simplicitatis & virtutis fuisse dicitur, qui omnia, quæ justis laboribus à mercede sua super necessitatem vestimentorum & parcissime habere poterat, pauperum manibus eorumque indigentis, & in domo leproforum, in eorum usus largitus est) hunc præful mutatis vestibus adiit, ubi erat cum pecudibus suis, quærens de statu suo, quid esset opus, an habeat longas orationes, an multum jejundet? Ad omnia dedit responsum, quod Episcopus non potuit bene cognoscere. Tandem quæsit, an haberet uxorem? Ait utique: nam duas habeo. Quo comperto hæsitare cœpit Episcopus intra se; si habet sic, sequitur vita sua tunc valde parum habens de merito. Tunc advesperascente & die declinante voluit Episcopus revertere ad civitatem. Cui pastor: mane mecum usque cras (nam pastori videbatur, quod esset satis devotus), dixit, ubi debeo de sero cœnare, debes mecum ire. Cui libenter Episcopus annuit. Tunc cum grege iverunt ad villam. Et cœna facta, dixit: debes mecum ire ad domum meam. Quo facto venerunt ad tugurium suum, & habuit duos truncos. Tunc dixit ad Episcopum: Sume tibi unam de uxoribus meis. Tunc Episcopus gavissus valde videns vitam suam optimam. Tunc Episcopus quæsit eum de omnibus. Hic Dei servus ad laudem sui creatoris, cum astris matutinis, media nocte surgens, & Episcopum alloquitur, ut surgat & secum ad matutinas eat. Qui statim surgens & ad portas urbis Mindensis, ut divinis laudibus etiam corporaliter interesset mereretur, quanto properans, nomen domini cum propheta exaltans, confitebatur. Nullum enim obstaculum per clausuram portarum civitatis nec molestia est. Quotiens ad portum venerat, totiens sibi Dei virtute & priorum meritorum exigentia ingressus præbatur, ad ecclesiam verò maiorem proveniens patrem suum cœlestem, qui videns in abscondito, in simplicitate puri cordis latus orationis tributum offerens, devote quæsit. Hiis itaque peractis ad portam reversi eam, ut prius apertam reperientes ad propria remeaverunt. Tunc Episcopus Deo gratias agebat & pastori negotium suum intimavit. Tunc multotiens Episcopus & pastor ad matutinas se invicem salutaverunt. Pastor habens pro consuetudine, de mane sumebat pileum cum baculo ponens in terra & ibat ad ecclesiam auditurus missam. Quæ finita revertebatur ad gregem suum. Hic pastor & plebanus Deo & virtutibus mercedem operis à domino accepturus: in ista nocte, qua moritur, visi sunt à vigilibus super muros tantæ claritates, quod dici non potest. Tunc exspirabat beata anima ab isto laborioso corpore ad perhennia gaudia. Quo comperto Episcopus Dethmarus adduxit corpus suum ad civitatem Mindensem, & apud majorem ecclesiam reverenter per Episcopum ante altare virginis gloriosæ ad aquilonarem honorifice sepelitur. Non solum autem per prædictam visionem de pastore Dominus hunc honorare, & sibi gratum servum ostendere voluit; Sed etiam & miraculi consilium, quod in filio suo & in hoc servo suo monstrare dignatus est. Et hoc non tantum una vice, sed trina, sua potentia pietate exhibuit. Cum enim in Parasceve ex laboribus circa officium ipsius diei vigiliis honeste & orationibus devotis fatigatus & omnibus peractis modico pane refocillatus, ob devotionem passionis Jesu Christi & aquam biberet, Ecce, in vini naturam mox in ore bibentis est conversa. Præful vino gustato æstimans se per ministrum sibi servientem deceptum, aquam videns haurire; & hæc bina vice in vinum transmutata fuit. Tandem Episcopus tertia vice aquam videns & vinum inveniens à domino hoc factum intellexit; unde id quod sibi à domino ex gratia spiritali datum fuerat, cum gratiarum actione bibit, dominumque in donis suis benedixit. Tempore istius monasterium monialium in *Nendorpe*, ordinis sancti benedicti, sub præposito Symone, qui prædicto pontifici consanguinitate fuerat propinquus, scilicet avunculus, in honorem sancti Martini fundavit: item Ecclesia sancti Johannis evangelistæ in Minda à domino Ranwardo canonico antedictæ ecclesiæ & Dethardo ecclesiæ præposito anno Christi M CCVI. fundatur, ut superius est dictum. Item *Ordo Predicatorum* per beatum *Dominicum* natione Hispanum in partibus Tholosanis per decennium ferventer prædicantem cepit anno Christi M CC III. Item *Comecia de Hoyer* originem habuit.

Mille sub annis duo C. domini celebrantur,

Hoyer dominium sumpsit initium.

Anno M duo C. Hoyerensis fit comecia

Anno Christi M CC VII instituitur à beato *Francisco* ordo *Minorum*. Item ecclesia parochialis sancti Symeonis per Ykonem ecclesiæ Mindensis decanum, qui fuit de Treveris, fundatur. Quæ postea à domino Episcopo Mindensi anno M CCC XIV consecrata est, prima die mensis Junii. Hic præful venerandus, postquam sedem suam XXI annis rexerat mensibus IV & tot diebus, in vigilia beati doctoris *Thoma de Aquino*, anno Christi M CC VI transivit ad dominum. Dethmarus emit proprietatem omnium bonorum in Ricklinge;

Prudens iste fuit, præbens exempla bonorum.

Rectus, spirituum condempnans facta malorum.



In medio ecclesie sepultus est retro altare sancti Petri, ubi lumen nocturnale ordinatum fuit de Bodingehove, propter vitæ suæ eminentiam & sanctitatem, ardens. Sed nunc tale lumen datur per vicarium ejusdem altaris.

## XXVIII.

**H**enricus XIII. istius nominis Episcopus XXVIII. Hic præful modico in Episcopatu fuit tempore, ut ex annis Christi elici potest. Tempore istius monasterium in *Leveren* dictatum ordinis Cisterciensis, & subest monasterio in *Lucka*. Quidam sacerdos nomine *Albertus* dictæ ecclesie plebanus divitiis habundans fundavit, qui summum pontificem adiens confirmationem petens, quam dominus Papa libenter concessit. Qui domi veniens & monasterium construens præposituræ officium cura vigilantibus usque ad obitum suum gerebat. Quo mortuo monasterium ex lignis primo contextum usque ad quartum hujus cænobii præpositum immutatum permanfit. Quartus ut audivi, ex adjutorio *comitum de Techenneborg* hanc structuram prædictam perhennare & emendare cupiens, ex lapidibus, ut in præsentiarum videtur, ædificavit. Prædictorum Præpositorum imagines in Ecclesia hujus monasterii cum versu sequente depictæ videtur. Sub primo habetur, *Fundavi*: sub secundo *Rexi*, sub tertio: *succeffi*; sub quarto, *pondera vexi*. Versus:

Fundavi, rexi, successi, pondera vexi.

Fundator monasterii, villicus villæ ejusdem, vir honestus & opulentus, visionem quadam nocte habuit in hunc modum. Videbatur utique sibi, quod beata virgo sibi astaret, eique, ut quam citius surgeret, & missam decantaret, imperaret, respondit: Scholas me nunquam scio me frequentasse, unde ergo literas sciam, cum non didicerim? Virgo benedicta respondit: jussa mea quantotius impleas. Sacerdos enim, & filii mei servus fidelis, si presbyteratum fueris consecutus, eris. Qui surgens, & ecclesie fores intrans, librum missalem aperiens utrum hæc visio vera, an falsa esset, volens experiri, aperto libro Ecclesie, jam literis divinitus se illustratum inveniens, ac si à puero hoc didicisset. Hic de Dei gratia & munere cælitus sibi concessio non ingratus sacerdos effectus, omnia sua de consensu Episcopi monasterio, ubi sepultus est, legavit. De curia hujus villici, quæ *Schulthoff* dicebatur, Episcopo duo vel tres (\*) & gallus rubeus dari consuevit. Et forte est ista curia, quæ dicitur *Grotebus*. Sedit Præful prædictus annis tribus & anno domini M CC IX ipso die Præcedis virginis ab hoc seculo migravit; Versus:

Præful prædictus stat nullo turbine victus,  
Vir sensu prudens, & probitate nitens.

Dedit pro memoria sua decimam in *Bischoffshagen*, quæ tunc temporis valens erat.

## XXIX.

**C**onradus ex nobilibus de *Depholte* XXIX. Episcopus. Iste castrum *Reyneberch* in ecclesia *ordinario* fundasse legitur, quamvis ab aliquibus oppositum & minus vere dicatur, ab tali coloris narratore: ex *comitibus de Teckneborch* duo fratres vice quadam venationem exercentes, in loco castri prædicti insipientes unus ab altero casualiter declinavit. Qui diligenter aptitudine loci lustrata ad fratrem reversus loci & situs convenientiam fratri exponens, commendavit eundem. Unde consilio habito castrum ibidem fundavit; & propter loci mundiciam & aptitudinem *Reyneberch*, hoc est, mundiciæ montem, nominari voluerunt. Contra quos Episcopus excommunicationis sententiam fulminans, ad deponendum compulit eosdem. Castro ergo primo ammoto Episcopus Conradus ne de novo per manum temerariam & violentiam rexdificaretur, aliud instaurans, in montis vertice hoc locavit. Nam primum castrum forte fuit in loco *Mesenborch* vel *Bodenstede*; & aliqui dicunt, quod parochialis ecclesia in *Alswede* sit constructa de isto castro. Nam comites de *Techeneburch* habent conferre istam ecclesiam: Et sic est verisimile, quod habuerunt ibi aliquod castrum; & sicut dictum est de monasterio *Leveren*; & sic aliquam moram habuerunt in locis istis; quousque per prædictum Episcopum sunt expulsi de confinibus suis. Tempore *Conradi* anno videlicet domini M CC XV. XIII. Kal. Octobris Indictione II. Monasterium lacus sanctæ Mariæ, quod *Mariensee*, fuit primitus in monte *Wedegonia* fuit fundatum, sed postea ad nemorem *Vorenhagen* ad villam, olim *Thodenhusen* dictam, translati sunt. Tandem ad instantiam *Bernhardi comitis de Welp* translatum est ad locum, ubi nunc sunt. Item monasterium monialium, tunc ordinis Cisterciensis, de *Bischopperode* juxta *Grevenalveshagen* per Episcopum *Mindensem* dudum fundatum, per *Comitem Adolphum de Schowenborch*, qui ordinem minorem in *Lubbeke* intraverat, primo in *Olderinteln* translatum est; & postea ad opidum sibi æquivocum, anno domini M CC XXX. Hic inclitus de harum puellarum translatione sol-

(\*) Deest aliquid.



licitus, Visio quædam, de qua valde mirabatur, in sompniis sibi occurrebat. Videbatur enim sibi, quod duodecim fabri lignarii cæteri; monasterii operarii candidis sive albis vestibus essent cooperti; unde visionem hanc sibi cælitus intelligens esse ostensam, habitus (qui heu plus secularis pro præsentis est, & lascivus, quam deceat, quod multorum malorum est occasio) de griseo in album est mutatus. Et sunt modo de ordine sancti Benedicti & subsunt monasterio in Insula. Item post hoc anno vi. fratres Prædicatores à Canonicis ecclesiæ majoris vocati, año domini MCCXXXIII. ipso die conversionis sancti Pauli Apostoli Minden venientes, primo juxta sancti Johannis evangelistæ ecclesiam aliquo tempore morati sunt. Post ad plateam *Vitebollenstrate*, ubi nunc fratres Heremitarum sancti Augustini habitant, ubi puteum fodientes moram aliquam fecerunt. Tandem militares de *Beldersfen* curiam suam latam & magnam per incendium tunc in cineratam, ubi nunc Ecclesia & cimiterium & alia commoda fratrum sunt, Dei intuitu donaverunt. Area vero versus occidentem in tres partes divisa, postea tempore Volqueri & Johannis Episcoporum de pleno capituli consensu diversis est donata. Tertiam partem versus austrum à canonicis & capitulo sancti Martini modernis temporibus pretiose satis perfratres ementes comparaverunt. De hoc monasterio, velut de agro fertili, cui benedixit dominus, fructus honoris & honestatis, civitatem & ecclesiam Mindensem illustrantes, prodeuntes, dictum locum nobilem & famosum fecerunt. Inter hos frater *Otto de Hoya* fundator, quondam in *Lode*: frater *Otto de Nygenbus* sive de *Boldensale* nobilis, de quo mira leguntur: frater *Johannes sapiens* domus Mindensis fundator. Hic quantæ sanctitatis fuit, facta sua insignia & miracula, quæ de eo leguntur, testimonium & fidem præstant legentibus. Frater *Hermannus de Minda* qui & *Scyne* prope dictus est, Provincialis Theutoniæ, doctor utriusque juris, ordinem intrans, magnifica faciens & scribens. Frater *Johannes de Melberge* provincialis Saxonix, sacre pagine parientis professor, Papæ *Clementis quarti* capellanus & penitentiarius. Ipse tam dilectus huic *Clementi* erat, quod mortuo *Lodovico de Luneborch* Episcopo Mindensi Episcopatum habuisset, si voluisset. Fratribus enim suis germanis magnas prælaturas & beneficia in Minda, Homborch impetravit. Frater *Johannes* ex militibus *Van dem busche* provincialis Saxonix, translator fororum de *Lode* in *Lemigo*. Frater *Johannes de Barchusen* sacre pagine professor, & provincialis Saxonix. *Gerhardus de Minda* baccularius in theologia. *Rembertus Duvel* fundator in *Osnabrugge*, militaris. Frater *Rolandus*, vir vita & moribus pollens sub choro canonicorum in Hamelen honorifice propter vitam suam Deo & hominibus placentem, prout videtur, sepultus, miraculis clarus. Frater *Borchardus* dictus *Hydding*, de quo tempore Volqueri dicitur, homo cælo dignus. Frater *Arnoldus de Blomberge*, vir in cunctis sanctus, ut civitas Trajectensis dudum temporibus transactis testabatur profundius. *Albericus de Minda* spiritu prophetico clarus, literis & scientia & facundia insignitus. Tota terra & specialiter civitas Olsaaburgensis quondam testimonium perhibuit. Frater *Herbertus de Mandelslob*, quondam ecclesiæ Mindensis decanus, postea XV. annis in ordine Prior. Frater *Henricus de Hervordia* Magister, cui in theologia non inferior, ymno æqualis, frater *Gerhardus de Verden* canonicus loci ejusdem. Frater *Johannes Strote* Episcopus Scopiensis XX annis, Archiepiscopi Colonienfis Vicarius. Frater *Conradus de Hilbecke* militaris, Episcopus Orthusenfis. Frater *Hermannus* Episcopus Cysipolensis. Frater *Johannes de Loen*, Vir magnæ prudentiæ. Frater *Johannes de Ovenstede* cursum scholasticum & gradum ordinis consecutus, vir cui natura beneficia sua non negavit. Erat enim decorus facie, ore facundus, & voce sonorus, & gratosus, (\*) mediocris stature, agilis corpore, in manibus subtilis, prædicator egregius, & aliis gratiis non mediocriter dotatus, & ad provincialatus quondam expositus. Frater *Johannes* militaris, sacre pagine doctor: in quibus dominus sit benedictus. Capella & altare in castro *Schowenborch* à domino *Bernhardo Slezewicensi Episcopo* in honorem sancti Pancratii consecrata est, Anno Christi M CC XXI. Transivit autem ex hoc mundo dictus Præful postquam Mindensem ecclesiam rexerat annis XXVII. Obiit autem *Conradus* præful IV Kal. Junii in die beatorum Marcelli & Petri Anno Christi MCCXXXVI.

## XXX.

**V**ilhelmus Mindensis Episcopus in ordine XXX. Iste anno domini M CC XLI castrum dictum *Venowe* cum suis attinentiis; (\*\*) & jacebat quondam apud *Bruchtorpe*, cum advocatia in *Schynne*. Nam ubi cœnobium est constructum in *Scynna*, est in territorio Mindensis Ecclesiæ, & locus est emtus ab Ecclesia Mindensi: & advocatia in *Repholhusen*, in *Redese*, & bona in *Borden*, Curtem in *Lembeke*, in *Erkenenberge*, & quicquid juris habuimus (\*\*\*) nos & nostri nepotes ab eo loco, ubi parochia *Lo* exspirat usque in Saxoniam; præter bona, quæ fuerunt matris Comitissæ *Henrici nepotis nostri de Oldenborch*, quæ sita sunt in *Slavia*, ita ab utraque parte *Wyser*, quousque extenditur diocesis Mindensis & Hildensemensis, & in diocesi *Padeburnensi* bona domini *Johannis Arnholte*, & à fluvio, qui dicitur *Sydene* usque ad præ-

(\*) Mader. generosus.

(\*\*) Deest verbum.

(\*\*\*) Verba ex diplomate donationis desumpta.



prædictos terminos, emit à Henrico, Ludolpho, Borchardo & Wilbrando comitibus de Oldenborch pro octingentis & decem marcis Bremenſis argenti. Hujus autem teſtes Theodericus præpoſitus majoris eccleſiæ, abbas Scynnenſis, Lambertus præpoſitus in Nendorpe, Bad præpoſitus ſancti Johannis. Hic comes Hinricus de Oldenborch prædictus, vaſallis ſuis, videlicet Johannes de Arnholte, de præfata venditione ſcribens, etiam jus, & miniſterium, & in pheeditiones bonorum ſuorum ab Epifcopo de cætero receptoris, ad manus prædicti præfulis Wilhelmi reſignavit. Unde, inquit, dominus Johannes de Arnholte: univerſis vobis & ſingulis ſignificamus, quod nos omne jus & dominium, quod in vobis habuimus, venerabili noſtro domino Wylhelmo Epifcopo Mindenſi & ejus eccleſiæ relinquimus. Hinc eſt quod rogamus, quatenus eandem fidem, qua nobis hæcenus aſtricti fuiſtis, prædicto Epifcopo & eccleſiæ exhibeatis. Advocaciam prædictam videlicet in Scynne poſtea per centum & XL. marcas monachi cænobii ejusdem ab Epifcopo Johanne comparaverunt, tali tamen conditione annexa, quod in IX. domunculis in Reppolthufen ſitis, omni exactione ceſſante, Judicium tribunale ſibi & eccleſiæ ſuæ reſervavit. Monachi etiam ſub pæna amiſſionis advocaciæ ſe obligaverunt, quod nullius dominio eandem ſubjiciant, alioquin dicta advocacia cum omni jure ad eccleſiam Mindenſem revertatur & ſubjicietur. Actum anno Chriſti M CC XLVIII. tempore Johannis Epifcopi. Hic præful Anno Chriſti M CC XLVIII. cum Hinrico Comite de Hoya, qui propter maliciam ſuam ſecuris cognominabatur, ex illo, quod captivus in cippo & vinculis detentus, pedes amputaverat, non bene, ſicut poſtea fere omnes Epifcopi Mindenſes, concordabat: Cum Conradus Comes de Welpo, favens Epifcopo, dimidietatem caſtri Welpo, ad impugnandum dictum Hinricum tradebat. Hi enim Comites ſemper fideles eccleſiæ præfate & obſequioſi fuiſſe leguntur. Quare etiam Wilhelmus caſtrum novum, quod Nygenbuſſ dicebatur, anno domini MCC XLII ædificavit. Temporibus iſtius molitus vir Otto frater de Hoya multo labore & expenſis forores ordinis prædicatorum, nunc Lemego degentes, de Wederſtede in Lode tranſtulit. Iſte Epifcopus officium præfulatus curſu compendioſo & brevi, heu, peregit, & ſi domino annuente diutius vixiſſet, utique majores (\*) habita oportunitate feciſſet, ſed ſicut domino placuit, ita & factum eſt. Sedit autem annis quinque, Menſibus novem, & unum diem. Ipſo die beati pancratii anno domini prædicto in domino moriens.

Præful Wilhelmus fit vir prudens & honeſtus

Ordinem pontificis protinus dum recipit.

Fit juſtus cælo fixus.

### XXXI.

**Johannes XXXI. Epifcopus.** Hunc ex quodam rudi epitaphio ex nobilibus de Depholte invenio exortum; Iſte duo opida & in ſua dioceſi conſtruenda & gravem monetam cudendam, apud Hagenowæ indiçione XV. ab imperio impetravit. Tres turres, unam in novo caſtro, & duas in Reyneborch conſtruxit. Ludolphus Dei gratia Comes de Limberet. Notum igitur eſſe volumus univerſis Chriſti fidelibus, quod nos poſt diutinam rancoris tempeſtatem inter eccleſiam Mindenſem & nos exortam informati ſpiritu conſilii ſanioris cum domino Johanne Epifcopo & eccleſiæ prædictæ concordavimus, errorem noſtrum recognoſcentes, caſtrum & oppidum in Wunſtorpe, cum advocacia, theoloneo, prædia quoque, curtes, decimas & indagines, quas frater noſter C. Comes pia memoria ab Epifcopo & eccleſiæ tenebat in pheodo, domino Johanne Epifcopo & eccleſiæ prædictæ concordavimus in hunc modum, quod dominus Johannes Epifcopus, de conſenſu capituli & totius eccleſiæ Mindenſis, datis nobis pro reformatione pacis trecentis marcis medietatem prædictorum bonorum nobis & noſtris juſtis & legitimis herediſibus in pheodo conceſſit, reliquam partem ſibi & eccleſiæ retinuit absolute. Ut autem hæc rata permaneant & inconvulſa, præſentem conſcribi paginam fecimus bullæ impreſſione munitam. Actum in Mindan MCC XLVII. in die beati Andrea Apoſtoli.

Ludolphus comes dictus de Roſhe omnibus hoc ſcriptum viſuris ſalutem in perpetuum. Notum vobis eſſe cupimus, quod nos recognoſcimus epifcopo & eccleſiæ Mindenſi proprietates indaginum videlicet Levenhagen & duorum beythorum, quos ſibi epifcopus libere retinebit cum decimis ipſarum, nec non indaginum Northzele & Smalenhagen etiam cum media parte absolute ſibi Epifcopus habebit. Præterea indagines Oſterwolde, Oldenhagen, Grevene, Lukeshagen, Ludersvelde, cum decimis, & Winbrugge ſine decima, & mediam partem Nortſele & Smalenhagen, quas pater noſter Hilteboldus & Conradus fratres, & frater noſter Conradus, comites de Rothen, de manu Epifcopi tenuerant, nobis in pheodo conceſſit. Ut autem hæc permaneant, noſtri fecimus ſigilli appenſione roborari, anno domini MCC XLVII. Altare virginis benediçtæ apud monaſterium Locken anno domini MCC XLVII conſecratum eſt. Eodem tempore Barenborch per Comites de Hoya fundatur. Ultimo anno Johannis monaſterium monialium ordinis Cyſterciensis Vlotowe teutonice, latine vallis benediçtionis dictum à Comite Hinrico de Oldenborch, qui propter pietatis de Milde bogenere vulgariter vocatus, Anno domini M CC LXI eſt fundatum. Pro hujus monaſterii videlicet ſpiritali fundatione & ædi-

(\*) Deest aliquid.



zdficatione sanctimonialis de *Leyden* Osnaburgensis diocesis de *comecia Teckneborch* sunt vocata. Quibus adductis, in loco, ubi erat castrum *Scure*, quondam antiquum castrum dictum est; cum post annos vero paucos propter loci ineptitudinem ad villam parochialem *Remis* vel *Reme*, tribus tantum annis ibidem degentes, se transtulerunt. Sed quia locus hic propter aquarum, maxime tempore hyemali, frequentem inundantiam, & alius quibusdam ex causis, pro monasterio eis conveniens ibidem non erat, ad locum, quem nunc inhabitant, anno domini MCC LXXXVIII in die Sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum cum incorporatione ecclesie parochialis in *Valdorpe* intraverunt. De qua translatione hii sunt versus:

De Reme claustrales Vlotow quando redierunt  
Ducenti mille bis quadraginta vel octo  
Sunt anni domini, Prothasiique dies.

Hujus monasterii Ecclesiam *Lodewicus* Episcopus in honorem sancti Georgii martyris ipso die conversionis sancti Pauli anno Christi M CCC XXV consecravit. Huic novellae plantationi *Gerhardus de Schowenborch Comes* de consensu filiorum suorum *Gerhardi, Adolphi & Ottonis*, quidquid juris in villa *Valdorpe* habuit, anno domini M CC XC. Dei amore dedit. Idem *Wede-kindus de Schowenborch* post hujus monasterii fundationem anno XXIII. decimam in *Uffelen*, ex opposito claustrum, pro memoria sua & progenitorum suorum donavit, & predictum monasterium fuit sub jurisdictione in *Lucka*, quae modo habet bona istius. Nam desolatum est sub fratribus *Lubberto & Henrico* dictis de *Wende*. Ego vidi in *Vlotow* in pueritate mea unam personam, quae erat ultima abbatissa ibidem. Item hujus pontificis temporibus anno videlicet M CCXLIV. fratres de monte *Carmeli* ab *Innocentio IV.* mutationem regulae suae & habitus impetraverunt apud *Lugdunum*. Nam ante fuerunt divisi in vestibus sicut *pica*: Nam habuerunt unam plicam albam & unam nigram: Nec etiam in villis nec civitatibus eis habitare licebat, sed in locis desertis. Quorum negotium *Papa* *domino Hugoni Cardinali sanctae Sabinae & Wylhelmo Atrabatenensi Episcopo*, de ordine praedicatorum ambobus assumptis demandavit, qui specialem regulam, quam nunc profitentur, & habitum, quem nunc portant & utuntur, *Papa* hoc ratificante, tradiderunt. De hujus ordinis origine certa relatio non habetur. In speculo historiali legitur, quod tempore *Honorii Papa Albertus patriarcha Hierosolymitanus* regulam primo eis tradiderat, ut singuli singulas habeant cellas separatas, in quibus orationibus vigilent, ut non aliis occupationibus impediuntur. Item anno IV. post hoc fratres *Heremita sancti Augustini* ex quinque solitariorum sectis in partibus *Lumbardiae* per quendam *Cardinalem* tituli sancti Angeli, quorum quidam *sancti Augustini*, quidam *sancti Wylbelmi*, nonnulli *Johannis Boni*, aliqui *de Fabali*, alii *de Bricinis* censentur in unum ordinem sunt uniti. In privilegio Fratrum Minorum ab *Alexandro IV.* indulto habetur, quod hic ordo tempore *Gregorii IX.* cepit, unde idem *Alexander*: *recordamur liquide & memoriter retinimus, quod dudum apparuit religio in partibus Lumbardiae. Cujus professores vocati Heremita ordinis sancti Augustini, nunc succincti tunicas cum corrigiis, baculos gestantes in manibus, nunc vero dimissis baculis incedebant & adeo variantes interdum habitus seu forma, ut dilectis filiis fratribus Minoribus uniformes in derogationem multiplicem ipsius ordinis crederentur. Sane cum hujus variationis presumptio ad audientiam Gregorii praedecessoris nostri [Alexandri] praeveneret, statuendum providit & sub obedientia hiis Heremitis imposuit, ut in exterioribus vestimentis, quae nigri vel albi [coloris] esse debebant, contentos esse voluit, & desuper ipsa deferrent per amplas corrigias & patentes ac omnibus apparentes, ita quod omnes tunicae deforis eas vestibus nequaquam tegerent: & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium: Et adeo vestium temperent longitudinem, quod ipsorum calceamenta libere viderentur.* Haec ex dicto privilegio. Sedit praedictus praeful annis X. mensibus VII. septimanis II. & tot diebus. Deest pro memoria sua in *Arlage*; obiit MCC LII. octava Epiphaniae Domini, sepultus in ecclesia sancti Martini retro altare *Simonis & Judae*.

## XXXII.

**VV** *Edekindus XXXII Episcopus*. Hic dicitur de *Hoya*. Nam primitus fuit praepositus hujus ecclesiae & factus est praeful & pastor in populo post cujus electionem *Wylhelmus rex Romanorum* literas favore plenas capitulo scribens *Mindensi*, grates pro hujus electione referebat. Iste quam utilis, quam fidelis ecclesiae suae servit, facta sua insignia evidenter declarant; & quamvis de sanguine comitum de *Hoya* traxerat originem, nolebat tamen quod ecclesiae bona per eos, sicut haecenus, ante & post, usurparentur. Quare *Hinricum*, de quo ipse, nec sui heredes in villa *Borden*, nec *comecia*, aliquid juris haberent, recusavit. Item cum duce *Alberto Saxoniae* pro castro *Sassenbagen* & quibusdam aliis discordavit. Unde dux, urgente justitia & dicti pontificis astutia & prudentia, dicti castri dimidietatem, & proprietatem omnium bonorum, quae in diocesi *Mindensi* habebat, ministerialibus suis & eorum bonis duntaxat exceptis, sibi & ecclesiae resignavit. Item hic *Comeciam* in *Stenwede, Hadden-*

Aa

busen



busen & Borden, quam *Comites de Schowenborch* Gerhardus & Johannes ab Alberto duce præfato in pheodo tenuerant & eam genero suo *Comiti de Oldenborch* pro DC. marcis Bremensis argenti impignoraverant, Wedekindo pro DCCC marcis *Wilhelmo rege Romanorum* hoc approbante, Ecclesie & sedi beati Petri acquisivit, Episcopatus sui anno VI. Pro cujus solutione liberi in *Stenwede* quingentas & quinquaginta marcas contribuerunt. Septimo Episcopatus sui anno opidum *Hamelen* & advocaciam, cum omni jure suo & proprietate eorundem, pro quingentis marcis argenti examinati, sub maximis pænis, & quitatione ducentarum marcarum valatum apud *Coloniam* persolvendas, à *monasterio Fuldensi* titulo *emptionis* acquisivit. Prædicti autem monasterii abbas, volens prædictum contractum *Hamelensi* populo sive opidanis insinuare, inquit: *Rogamus attentius & exhortamur quatenus dominum Mindensem Episcopum, quem patrem spiritualem habuistis, etiam dominum temporalem haberetis, & debita reverentia, prout venenum honoretis, & ad ipsum de obedientia, feodis, juribus vestris respectum habeatis, eidem obedientiam, jurementa fidelitatis & omnia debita exhibentes.* Datum *Colonia* indictione II. Igitur *Comes de Eversteine*, dicti opidi advocaciam à *monasterio* tenens, in pheodo ammoneri metuens, prædictos opidanos, quantum potuit ad contradicendum & rebellionem provocavit: contra quos *Wedekindus* arma manu valida movit; & tandem juxta villam dictam *Zedemundi* anno domini MCC LXI. congressi, ipso die sancti *Panthaleonis* martiris bellantes, quo tandem victori & justitie patrocinio Episcopo faventibus, fere omnes cepit, vel cefi fuerunt. Prædictorum verò qui in ore gladii mortui fuerunt, memoria, ipso die, ut dictum est, *Panthaleonis* peragi consuevit in ecclesia *Hamelensi*. Opidani ergo induciis impetratis & sub spe spontaneæ subjectionis concessis, ducem *Albertum de Brunsvich* adeunt, auxilium & consilium exposcunt, & ut eos de manu Episcopi eripiat se & sua sibi subjacere libenti animo promittunt. Dux autem quasi alienorum cupidus, militum undique & armatorum colligens multitudinem cum sexcentis dextrariis falleratis contra *Wedekindum* perrexit; Et tandem *Hamelenses* de prædicta captivitate liberavit. Hoc ex communi & vulgari narratione. Notandum tamen, quod in compositione partium fuit ordinatum, quod ecclesia *Hamelensis* omni privilegio, jure & libertate gaudebit, quo prius: *Comites* etiam *de Eversteine* & alii ministeriales ab Episcopo *Mindensi* recipient, & fidelitatis juramenta exhibebunt. *Camerlingi* vero & *liones* juramenta præstabunt Præposito prædicto. Nam præpositura pertinet ad ecclesiam *Mindensem*, antea vero ejus collatio pertinebat ad *Abbatem Fuldensem*. Prædicti ergo *Comites* & ceteri opidani Episcopum in ipsum opidum solemniter recipient, & eidem omne jus proprietatis & domini, quod ecclesia *Fuldensis* habuit, recognoscent, & fidelitatis juramenta præstabunt, quod opidum ipsi *Mindensi* Episcopo fideliter conservabunt; prout in privilegiis ecclesie habetur. Nam dicitur quod arma ecclesie *Mindensis*, videlicet claves, stabant super turribus & portis per aliquod tempus. Et quidem Episcopus quietam possessionem habuit & forte per totam vitam suam. Et hic contractus fuit celebratus *Minda* anno domini MCC LXV. Aliter tamen postea inter ducem prædictum & Episcopum ordinatum fuit, sic quod opidi dimidietas duci, titulo venditionis, fuit libere dimissa; ita tamen, ut illud de altari beati Petri cum baculo episcopali dux recipiat: & statutum, quod quidquid ad episcopum spectat, dimidietatem haberet, sic quod neuter eorum alium tam de *Hamelen*, quam de *Mündere*, ejiceret vel deprimeret; quia dimidietatem *Mündere* forte pro dimidietate *Hamelen* accepit. Sed modo Ecclesia *Mindensis* neutrum illorum habet, quia propter continuas guerras Ecclesia detenuata, sicut ubique est passa ruinam. Sciendum etiam, quod ecclesia *Hamelensis* foundationi ecclesie *Mindensis* annis XXXV. præcessit. Fuit enim Ecclesia *Hamelensis* à beato *Bonifacio* consecrata in honorem antecessoris sui *S. Roberti*, & constituit ibidem viros religiosos sub habitu canonicorum regularium: in opposito verò *Wyseræ* ultra pontem, capellam sub honore sancti *Dionysii*, & in villa *Hillingsvelde* Ecclesiam in honorem beati *Martini* idem *Bonifacius* consecravit. Historia, qualiter *Comes de Ofen* sive *Osten* sit conversus, habetur supra in *Cronica*. Hic præsul magnificus ducem *de Brunsvich*, *Luneborch*, *Schowenborch*, *Comitem de Wunstorpe* cum valido exercitu in bello publico, civibus *Mindensibus* sibi viriliter auxilium præbentibus devicit, Deo & civibus de *Minde* cooperantibus in bello. Unde in illius victoriae memoriam IV. vexilla in majori ecclesia pendentia in præsentiarum videntur. In memoriam ergo victoriae hujus partem nemoris spatiosam & latam, quod *Mindervolt* nunc dicitur, quondam, ut præmissum est, *Sternwolt* dictum, prædictis civibus ex consensu capituli & omnium, quorum intererat, cum omni jure & proprietate est largitus. Item Ecclesiam fratrum Prædicatorum in *Minda* cum fratre suo germano scilicet *Gerhardo Verdensi* & fratre suo *Hinrico primo Episcopo Oslensi*, ordinis ante dicti, cum magna solemnitate simul & devotione, Anno domini MCC LX, consecravit. Item villicationes *Beldersen*, *Wolbeke*, *Dudenhufen*, per multas expensas, fecit libere redire ad Ecclesiam. Item procuravit à *Nicolao Episcopo Ananinensi* reliquias *Magni martiris*, & festum istius instituit coloris albi, & *Sebastiani* coloris rubri. Item dedit domum unam in *Dutzen* & unam in *Hamelbeke* pro memoria sua. Nam fuit primitus Præpositus *Mindensis* & electus in episcopum & ambas prælaturas per aliquod tempus habuit.

Tan-



Tandem hic pontifex gloriosus post opera insignia ac suæ Ecclesiæ dilatationem; domino volente, de hoc mundi carcere ad cæli pallatium feliciter introivit, anno domini MCC LXI. in vigilia beati Mathæi Apostoli. Sedit annis VIII. mensibus VIII. septimanis III. & V. diebus. Versus:

Hic pater occubuit, qui turris, qui Leo, qui Lux,  
 Qui flos, qui gemma, quique columpna fuit.  
 Turris deicitur, leo perdit rubur, hebet lux,  
 Flos marcet, pallet gemma, columpna ruit.  
 Non ventus, non aura potest extinguere lumen  
 Istud, & æterno lumine flamma viget.

## XXXIII.

**C**ono XXXIII. *Episcopus.* Hunc aliqui ex nobilibus de *Depholte*, alii ex militaribus de *Weyge*, *Bremensis* diocesis originem duxisse affirmant. Ad cujus solutionem *liberi in Stenvede* quingentas & quinquaginta marcas ecclesiæ tradiderunt. Anno hujus ultimo monasterium sororum prædicatorum *Lotbe* dictum per dominum *Wedekindum de Monte* fundatum, in quo multas injurias à *Comite Frederico de Retzberge* tum à *Hinrico* filio prædicti *Wedekindi*, qui dictam foundationem patris parvi pendebat, perpetræ sunt. *Hinricus de Hoya* supra dictus inveteratam cordis sui malitiam etiam contra Christi ancillas & inermes extendere non verebatur, spoliis deprædans easdem. Sed qui à Domino derelictus est, pauper & ipse tempore opportuno auxilium ab eis trahere non consuevit de prædictis tribulationibus absolutis. Sedit autem *Cono* Præsul annis IV. mensibus V. & tot diebus. Anno Christi millesimo CCLXV. obiit in Cathedra beati Petri Apostoli. Dedit domum unam in *Hille*. Versus:

Hic vastat hæreses, manet ergo cælicus hæres.  
 Nos pius has sedes in cælo transferat ædes.

## XXXIV.

**O**tto *Frater*, primus tali nomine, in ordine Episcoporum XXXIV. Idem præsul de Prædicatorum ordine propter vitam suam gratam & scientiam lucidam ad statum pontificalem assumptus est. Et quia humilem se, ex Dei donis non inflatus, cunctis exhibuit, ex altari promeruit. Unde illud *Sedulii* de eo merito dici potest:

Ecce humilem dominus de stercore tollit egentem,  
 Et facit egregios inter residere tyrannos.

Iste ergo præsul quamvis negotiis & factis secularibus non multum tritus, nec assuetus, strenuè tamen & prudenter sedis suæ jura & proprietatem defendit. Hoc enim in recuperatione castri *Reyneberch* evidenter, & quibusdam aliis factis suis, compertum invenimus. Tempore enim sui pontificatus *Barones de Depholte* jura & bona Ecclesiæ ex quadam frivola occasione sibi indirectè usurpabant. Et quia hic præsul religiosus erat, suspicabantur, quod ad arma seu ad alia facta militaria minimè sufficeret vel valeret: Unde castrum *Reyneberch* traditiose capientes, sola turri excepta, per custodem fideliter ad manus Episcopi reservata; per quam igne, & episcopi sagacitate & prudentia sunt exfugati. Castro denique capto & recuperato miles quidam, de *Eylbusen* cognomine, cum aliis, qui castrum tradiderant, sententiam capitis acceperunt. Civitati etiam *Minden*si quam utilis & proficiuus in consiliis & aliis causis emergentibus fuit. Temporibus etiam suis Pons, gravia pondera portare valens, apud *Mindam* non erat, sed tantum pro transeuntibus. Omnia enim ponderosa & gravia navigio ducebantur, & quidquid ex illo derivabatur, totum in usum Episcopi redibat. Item murus civitatis versus orientem, juxta majorem Ecclesiam, ubi etiam Episcopus portam habuit, non completus erat. Et quia ista in periculum civitatis non modicum erant, in auxilio & consilio *Otonis* constructa & reformata sunt. Item *Borchardus Comes de Welphe* bona sua in *Wytefen* cum Ecclesiâ & omnibus pertinentiis suis, sicut ipse à *Comite de Regensfeyne* emerat, ecclesiæ & Episcopo *Otoni* contulit. *Ludolphus de Roden Comes* III mansos per *Otonis* ordinationem dedit. Quidam miles, *Alimertus Suke* cognomine, bona sua in *Holtorpe* ad manus episcopi in domo fratrum prædicatorum *Mindæ* resignavit. Fratres *Borchardus* & *Fredericus de Helbeke* recepta ab Episcopo quadam summa pecuniæ redditus LX. solidorum ad manus resignabant. Penultimo *Otonis* anno *Reynoldus*, rector Ecclesiæ parochialis in *Alben*, eandem Ecclesiam collegiatam est fundavit, quam idem *Otto* confirmavit, & dictum *Reynoldum* decanum ibidem constituit. Nam decanus *Lubbicensis* habet apud eundem, Rectorem de *Althen* corpus decanatus sui, videlicet IV. marcas graves. Anno vero domini M CC LXXX. mensè Decembri *Volquinus Episcopus* illud de *Alden* ad opidum *Nigenstad*, ad instantiam *Borchardi* prædicti, & consensu fratrum suorum *Burchardi* & *Otonis* *Bremensis*



& Mindenſ. Præpoſitorum, tranſtulit. Ultimo *Ludolfus Episcopus* illud de opido prædicto ad opidum *Lubbeck*, anno domini M CC XCV. tranſpoſuit & locavit. Prædictus præful ergo memoriam ſui pontificatus perhennare deſiderans bona in *Börden* canonicis legavit, locorum, quorum in ſabbato ante ſeptuageſimam conſolationem de bonis communibus ſecundum Eccleſiæ ordinarium dari ordinavit. Fratribus Prædicatoribus in Minda domum ante eorum cimiterium fatiſ laborioſe à quadam vidua de Berderſen, quæ tres filios habuit, procuravit. Hiis & quibusdam piis operibus peractis, quibus non deſidioſe, ſed laborioſe inſudaverat, doctore Horatio: *Quies, inquit, tibi fit, non deſidia, ut, cum aliis luditur, tu ſcire aliquid & honeſte tractabis.* In curia Papæ Romani migravit ad dominum. Sedit annis ſex, menſes XI & unam ſeptimanam. Obiit anno domini M CCLXXII in octava Martini. Per idem tempus *beatus Thomas de Aquino*, ordinis prædicatorum, doctor ſuaviſſimus, migravit ad dominum; cujus tranſitus domino *Alberto* quondam *Ratiſponenſi Episcopo*, in conventu Colonienſi exiſtenti, multis fratribus præſentibus, oſtenſus eſt, quibus in lacrimas reſolutus, dixit; filium ſuum in Chriſto cariſſimum *Thomam de Aquino* migraviſſe à corpore: quod veritate comperta inventum eſt, doctorem prædictum eadem hora à ſeculo migraviſſe. Super-vixit autem dominus *Albertus* annis ſerè quinque & tunc laborioſiſſima & ſanctiſſima carne ſolvitur, & congregatione omnium collegiorum in Colonia & totius civitatis Colonienſis nec non & dominorum in circuitu per *Sifridum Archiepiſcopum* dictæ civitatis ſolempniter, anno domini M CC LXXIX in octava beati Martini, in choro fratrum ſui ordinis ſepelitur. Tempore *Oſtonis* campanæ magnæ, quæ Apoſtolorum campanæ dicuntur, ſecundum ſequens metrum:

Mille ducenti tunc fuerunt ſeptuaginta

Anni de Chriſti natali, quando paratur.

Bis decies milleniſ ſeptuageniſ

Anniſ de Chriſto pleniſ creor ære ſub iſto.

### XXXV.

**V**olquinus XXXV. Episcopus. Iſte aulam Pontificalem in Minda conſtruxit, & de villa *Lubbecke*, opidum faciens, dedit eis pro armis *ſtellam apud claves*, quia erat ex comitibus de *Svalenberge* natus. Deo ergo permittente, velut alter *Tobias* ejus probaretur patientia, Dei-que virtus & ejus ſervi mirabilis oſtenderetur, excæcatus & oculorum lumine privatus eſt. Eodem verò tempore in domo ſancti Pauli quidam Dei ſervus nomine *Borchardus*, cognomine *Hyddingk*, clarus habebatur. Hic propter vitam ſuam angelicam & morum honeſtatem à præfato Præfule in patrem ſpiritualem, puta in confeſſorem, eligitur & adoptatur: Qui tandem Domino volente viam carniſ univerſæ ingreſſus. Præful hic inſirmatur, amiſſum-que lumen oculorum lamentabiliter plangens, cum ſpes omniſ de recuperatione ſanitatiſ abeſſet ad prædicti viri Dei *Borchardi* præſidium, precibus obnixiſ, requiſivit. Ecce, nocte ſequente Chriſti ſervus Episcopo in viſione apparens, preceſque ſuas propter merita ſua à Deo eſſe exauditaſ ſignificavit, & addidit: Corpus meum quancociens de cimiterio fratrum excipies & ante altare virginis benedictæ ibidem, ubi crebrius orare conſueveram, locare curabis, ordinabiſque ejuſdem virginis glorioſæ imaginem ſupra ſepulchrum in muro cum lapide: & ſic ſalutem utriuſque luminis à domino conſequeriſ. Quo dicto diſparuit viſio hæc. Expergefactus ergo Episcopus & ſe illuminatum ſentiens, dominum in ſervo benedixit, gratias agens. Mane ergo factò totius civitatiſ clerum proceſſionabiliter convocans & populo viſionis & illuminationis ſeriem publicans & prædicans, cuncta ſibi oſtenſa ſtudioſe & devote complevit. Corpore itaque ſublato reverenter, & abſque ullo factoriſ corruptione invento, in loco ſibi revelato in ſerchophago magno & fortiſſimo, ſicut ego cum aliis fratribus in translatione dicti corporiſ vidimus, (\*) tumulavit. Ex hujus virtute miraculi, oculorum dolore gravati, ad ſepulchrum viri ſancti ſe voventes ſanitatiſ beneficium multi, prout ſcimus, oculique noſtriſ vidimus, receperunt. Unde omniſ populus ad tam grande ſpectaculum congregatus Dei videns magnalia, manus ad cælum extollentes, gratias egerunt; & modo corpus ejus habetur in altari majori in Eccleſia Prædicatorum. Fuit ergo tranſitus Volquini Episcopi ex hoc mundo ad cælum, anno domini M CC LXXXII. ipſo die ſancti *Godehardi Hildenſemendiſ Episcopi*.

### XXXVI.

**C**onradus hujus nominis II. ex nobilibus Saxonix de *Wardenberge* XXXVI Episcopus. Hujus præfulatus tempore, anno videlicet domini M CCLXXXVIII domus Fratrum Minorum apud opidum *Honover* fundatur. Septennio verò revoluto comes *Otto de Hoya* caſtrum *Uchte* in fundo Eccleſiæ fundat. Circa eadem tempora dominus *Albertus de Mandelſto* decanus, in ju-re

(\*) Vides *Leerbecium* hæc circa tempora viſiſſo.



re Canonico Licentiatus, seculo valedicens, ordinem Prædicatorum apud Mindam intravit, vestigia patris sui sancti Dominici sequens, qui etiam ante ordinis institutionem Canonicus regularis exstitit. Prædictus Decanus in sacra nocte nativitatis Christi, quando æstimabatur, quod vellet missam in galli cantu legere, tunc assumebat ordinem, in quo officium prioratus annis XV. laudabiliter & religiose tenuisse repertus est. Obiit Præsul Conradus IV. Kal. Junii Anno Domini MCCXCV in die Marcellini & Petri. Versus:

Conradus hic obiit, qui sine labe fuit,  
Ergo pie rex Christe ad cælum sumitur iste.

XXXVII.

**L**udolphus de Rostorpe, natione Saxo, XXXVII. Episcopus. Hic præsul castrum *Steygerborch* anno Episcopatus sui VI. fundavit. In bellis victoriosus *Symonem nobilem de Lyppia*, militem in armis strenuum, & virtuosum, & *Gerbardum de Monte* advocatum juxta nemus *Santport*, Symone prædicto terga vertente, civibus Myndensibus Episcopo fideliter astantibus, anno Christi MCCC I in vigilia assumptionis viriliter vicerunt. Unde in memoriam dictæ victoriæ processio à personis devotis in vigilia assumptionis per circuitum civitatis omni anno consveta est fieri. Anno hujus II. fundatum est altare sanctæ crucis in Ecclesia majori de bonis *Johannis de Ovensiede* & *Helmiri de Rintelen* & *Bodonis*. Illo itaque tempore ut crux major, quæ vulgariter *spiritus sanctus* nominatur à simplicibus per civitatis circuitum, in rogationibus portaretur, mos inolevit. Item tempore hujus sorores Prædicatorum de *Lotbe*, *Lemego* in magnam ecclesiæ Mindensis ruinam & casum se transtulerunt, & in majori pace pacis auctori Deo famulari cupientes monasterium ibidem anno domini MCC VI ædificare caperunt. Multi enim non mediocriter ruminantur, quod ecclesia Mindensis tam gratam, tam sanctam congregationem limites suos exire permisit. Quam diu enim *Lotbe* inhabitabant optimus Deus duas victorias famosas videlicet tempore *Wedekindi*, & hujus *Ludolfi*, Ecclesiæ sæpè dictæ, harum propter orationes, creditur à multis contulisse. Item anno eodem à Magistro *Jacobo*, Archidiacono in *Patbenbusen*, *Wilhelmo* & *Brunone* fratribus germanis ecclesiæ majoris vicariis, qui majores & solempniores campanas anno domini MCCCVI, ut per metrum sequens patet, ordinaverunt.

Devotis populis resonet pia vox tua, dulcis  
Et dilecta soror, nec resonare moror  
Annum si legis, nominatur sculptura fororis,  
Voce de unius, quod nos ambas creat unus.  
Ecce sub hoc titulo tua dicor sancta Maria,  
Ora pro populo, dum sono virgo pia.  
Millenis annis trecentis sex numerabis  
A nato Christo felix creor ære sub isto.

Item iste *Jacobus* exstitit fundator Vicariæ omnium Sanctorum & dimidietatum *Cosmæ* & *Damiani*. Item construxit illam structuram retro altare majus. Item fundavit festum octavæ omnium Sanctorum. Item fundavit festum corporis Christi. Unde dedit unum mansum extra virginem beatam, qui dat annuatim XVII. W. filiginis & totidem hordei. Item 27. hortos, qui dant annuatim VII. marcas minus IV solidis. Item comparavit in anniversario fratrum suorum XV solidos. Item dedit idem Magister *Jacobus de Steinwede* ad memoriam suam peragendam in festo Michaelis XXV solidos, videlicet de curia sua, quam modo decanus inhabitat decem solidos, & per vicarium omnium Sanctorum XV solidos, & sepultus est apud capellam sancti Magni, anno domini MCCC XVI. Et ibidem sunt sepulti *Wilhelmus* & *Bruno*. Anno domini MCCC LIV sepultus est sub lapide magistri *Jacobi Hermannus Wend*, decanus Ecclesiæ Mindensis. Item sub eo Capitulum secundum fratrum prædicatorum in Minda celebratum est anno domini MCCC VII. Item aulam Episcopalem *Lubbeke*, *Ludolfus*, quæ quondam *Steynboff* dicebatur, ædificavit. Item per eundem canonici de *Lubbeke* de nova civitate ad opidum *Lubbeke* translati sunt, & de curia Episcopali sumpti VI. mansi & quilibet mansus habet ultra II plaustra communis annonæ & est corpus præbendæ. Item suburbium sancti Symeonis in Minda in die sancti Ypoliti ex integro per ignem deletum est. Item monasterium in *Egestorpe* sub regula sancti Augustini constructum & fundatum; quod tempore succedente *Lodewicus* Episcopus in honorem virginis benedictæ consecravit. Intellexi à fide dignis, (\*) quod etiam hoc castrum *Bokeloh* contra comitem de

A a 3

(\*) Observa, hujus Episcopi Ludolphi gesta non a Leerbecio sed a recentiore quodam autore, & forte ab *Hinrico Tribbe*, de quo sub *Vilbrando* XLIX. Episcopo, esse conscripta. Cum enim *Leerbecius* supra in *Volquino* dicat, se interfuisse beati *Borchardi* translationi; hic, uti vides, scriptor testatur, se ex fide dignis audivisse, *Bokeloh* castrum contra *Vunstorpios* Comites ædificatum fuisse: atque ita ædificationi castri contangens non fuit.



*Wunstorpe*, quem cum filio suo Mindam captivos duxerat, cujus adjutores ducēs de *Luneborch* fuerunt, & inveterati æmuli Ecclesiæ de *Hoya* erant, ædificavit. Sedit annis sex & ipsa die sancti Albani obiit.

## XXXVIII.

**G**ofridus, de Comitibus de *Waldago* XXXVIII. Episcopus. Hic castrum *Petersbagen* II Episcopus sui, anno, MCCC VI in die sanctæ Walburgis construxit, cappam & paramentum pretiosum ejusdem coloris ad ecclesiæ suæ decorem offerens, legavit. Anno eodem plateam pistorum flamma vorax ex integro absumsit. Anno verò IV. Nobiles advocati de *Monte* castrum suum *Berch* per *Comites de Hoya* violenter detentum & occupatum ipso die Sanctorum Marci & Marcelliani prudenter recuperaverunt. Anno vero ipsius VI. tota civitas *Mindensis*, ipso die sancti Ypoliti martiris per incendium est destructa. Item post hoc, ut metro sequenti elici potest, carissima maxima fuit, & multi fame & inedia perierunt.

Ut lateat nullum tempus famis, ecce, CUCULLUM.

Item *Gerhardus de Monte* ecclesiam parochialem sanctæ Walpurgis in castro Montis, in ecclesiam collegiatam in sex canonicis immutavit. Sedit autem prædictus præsul annis X. obiit anno domini MCCCXXIV. in crastino sancti Servatii Episcopi, sepultus ad sinistram *Conradi* primi retro altare beati Petri.

## XXXIX.

**L**odewicus ex ducibus de *Luneborch* XXXIX. Ex alto sanguine temporaliter videbatur natus, & magnus Ecclesiæ quæstus per suam præfidentiam sperabatur, ratione tanti principis & suorum. Sed quia circumspæctus in faciendo non erat, omnis spes in nihilum redigebatur. Cum *Comitibus* de *Hoya* graviter discordabat. Quare Ecclesiam & beati Petri possessionem intolerabiliter impugnantes castrum *Nigebus* lapideum, firmum & munitum undique quidam Ecclesiæ ministeriales & Vasalli contra fidelitatem, qua ecclesiæ tenebantur, & juramenta, pecuniis corrupti, anno domini MCCCXLVI turpiter & traditiose ad manus comitum de *Hoya*, ipso die beati Sixti Papæ, ceperunt, & penitus destruxerunt. Et istorum traditorum fuerant tres, sicut in proverbio dicitur: Et quia quilibet rei exitus acta probat, quidam ex hiis traditoribus apud prædictos, quam diu vixerant, manebant. Quæ enim scimus, loquimur, & quod vidimus, (\*) testamur. Quanta enim bona & libertates ecclesia *Mindensis* amiserit, intelligat, qui potest. Limites enim & possessiones suæ sedis nimis sunt, & videntur per hoc abbreviatæ. Ex hujus namque castri ruinis & lapidibus *Levenowe* castrum firmatum & constructum postea vidimus. Anno ergo nondum elapso fidelium ecclesiæ & civium de *Minda* consilio pariter & auxilio *Lodewicus Slotelborch* castrum fundavit, ipso die decollationis sancti Johannis, quod prædicti *Comites Johannes* & *Gerhardus* erexisse proposuerant, si *Mindenses* maturo consilio dictam insulam *Slotelborch* primo non occupassent. Advenientibus ergo *Comitibus* navigio, structuram & munitionem pro castro prædicto fundando portantes, confusibiliter terga dederunt, *Mindensibus* eis insultantibus *backena*, *backena* post eos clamantes. Sic enim in eorum proposito frustrati, castrum *Stoltenowe*, quod à multis ironicè *backena* dicebatur, constructum fuit. Nam prædictus *Lodewicus* fuit vir mansuetus & non animosus: Vana etiam spe fratrum suorum *Otonis* & *Wylbelmi*, de quibus maxime confidebat, deceptus. Nam isti fuerunt de non habentibus multum de sensibus. Prudenter enim, ut nonnullis videbatur, tempus pacifice redimentes, *Hoyensibus* revera favebant, timentes in posterum per castrenses ejusdem ducatus sui impugnationem. Sed verè, quod in prædicto castro reverentes timebant, hoc postea castrenses de *Slotelborch*, videlicet militares de *Mandelslob*, spoliis & rapinis nemini parcentes & deprædantes faciebant. Versus:

Incidit in scillam, cupiens vitare caribdim.

Item prædictus Episcopus solebat consecrare Ecclesias & ordinare per semetipsum, quia noluit habere suffraganeum: Quia dicebat, quod nollet habere istos *Knappelkers*. Item ob reverentiam beati Petri casulam pulcherrimam purpurei coloris, cum lapidibus pretiosis & margaritis ornatam, cum mitra pontificali valde pretiosa, quæ mater sua sibi, cum pontifex existeret, obrulerat, ecclesiæ suæ reliquit. Item tempore suo aquæ *Wyseræ* in tantum creverunt, quod civitatem *Mindensem* intrantes per majorem ecclesiam ad forum usque pervenerunt & hostium portæ civitatis IV. vel quinque pedibus minus ad superius totum impleverunt, & super illum altum pontem, quem funditus everterunt, sunt elevata. Fuit autem hæc inundatio in die *Mariæ Magdalænæ* parum ante & post.

Post M. post tria C. post quatuor X & duoque,  
Wisera per *Mindam* tumuitque magna per undam.

Sedit

(\*) Hic autor se iterum rebus Gestis cœtantium prædic.



Sedit autem Lodewicus annis XXII. mense uno, diebus IV, in die Arnulphi Episcopi apud Monasterium *Walsrode*, anno domini M CCC XLVI moriens, ibique sepultus, perpaucis dolentibus.

## XL.

**G**erhardus primus, ex Comitibus de *Schowenborch*, XL. Episcopus Mindensis. Iste ex decano ipso die Prothi & Jacinthi martyrum pontificatus Clementis sexti Anno IV à faniore parte capituli electus, & confirmatus est. Anno hujus II nobilis de *Steinvorde & Cappele*, & eorum complices quam plures, à fidelibus ecclesie prostrati sunt & occisi & capti. Horum casum & infortunium quidam vir bonus Villanus de *Leveren*, Lubbeke nocte quadam vadens, vidit quendam honorabilem senem, vexillum magnum, ut in ecclesia majori Mindæ habetur, portantem, intellexit prædictum prælium & manifestè prædixit. Et forte illud prælium fuit apud *Leveren*. Anno IV. nobilis advocatus de *Monte Gerhardus*, & confors sua *Lyza de Solmessen* viam carnis universæ ingressi in Ecclesia majori ante altare regum, simul tumulati sunt. Anno vitæ suæ ultimo M CCC LIII castrum nobile & fructuosum *Roden* multo labore & expensis à militibus de *Sesmele & de Scelen* & quibusdam aliis comparavit. Præfatum ergo castrum Comites de *Hoya & Gerhardus de Monte* partem occupantes per armigeros & Episcopi ministros viriliter sunt ejeçti. Nam isti duo voluerunt habere, sed non prosperabantur. Nam antequam isti fuerunt avisati, episcopus & sui, Deo disponente & beato Petro, habuit prædictum castrum in manibus. Et isti heredes vix potuerunt habere pecuniam, & nisi episcopus fuisset cautus homo, aliter isti de *Hoya & de Monte* habuissent prædictum castrum, & sic prævenit eos. Nam una pars habuit compactum cum istis: Sed aliter per altissimum est dispositum. Eodem tempore pestilentia sævissima populum subito delevit, sic ut in plerisque locis vix pars tertia populi supervixit. Habuit vero hæc lues cursum suum per annos multos, sicque anno domini M CCCL. venit in Theutonium & eodem anno in Mindam, & duravit ibidem XXIV. septimanas. Versus:

Cum quinquagenus domini tibi ducitur annus:

Tertia pars hominum transit ad dominum.

Eodem anno Judæos in Minda & aliis locis more pecorum mactaverunt immemores verbi prophetiæ in persona Dei dicentis: Inimicos meos ne occidas, ne obliviscantur populi mei. Sustinendi namque sunt & parcendum est eisdem, cum quia Christi mors in eis ad memoriam revocatur & recolitur; tum quia multi ad fidem convertuntur; tum quamvis nostri hostes tamen contra infideles & paganos nostri librarii & testes tandem in fine mundi omnes fidem Christi recipient, & fiet unus pastor, & unum ovile. Nam eis obiciebatur causa pestilentie, propterea in vigilia Mariæ Magdalene occisi sunt, ut apparet in turribus de lapidibus eorundem. Nam undique occisi sunt, *Osnaburgi, Lubbeke &c.* Circa idem tempus gens sine capite, id est, sine cerebro & prudentia, qui *Flagellarii*, anti-Christi adventum prænunciantes, & *Cruciferi* dicebantur, quia crucem anteferebant, & in modum crucis in processione sternebantur, & cruce significabantur. De religiosis & clericis ac sacramentis, non sobrie sentiebant, ymno contempnebant. Unde duo fratres Prædicatores &c. sicut superius in Cronica habetur. (\*) Anno M CCC LV, Comites de *Hoya* suburbium sanctæ Mariæ nocturno, scilicet, sequenti nocte animarum post Michaelis, igni tradiderunt. Sedit annos VI, menses IV. unam septimanam & tres dies. Obiit in die circumcisionis, & est sepultus inter altare beatæ virginis & altare beatæ Mariæ Magdalene, anno domini M CCC LIII.

## XLI.

**T**heodericus de ordine Cisterciensi, hujus nominis III, Episcopus XLI. Hic primo fuit Episcopus Ebernensis, post Slezewicensis, & erat de opido *Stendele*, natus ex humili parentela. Post eodem anno, post obitum *Gerhardi* Kalendis Marcii, fit Episcopus Mindensis, videlicet anno Domini M CCC LIV: Et sedit annis VIII, mensibus duobus, diebus XI. Nam fuit homo talis qualis. Nam per *Gerhardum* successorem suum regebatur diocesis. Ultimo verò anno, scilicet Christi M CCCLVI. fit Episcopus Magdeburgensis, eam ecclesiam valde amplians. Nam dicitur, quod fuit Vicedominus regis Bohemie, & omnia privilegia ecclesie Pragensis infregit & amputavit. Nam in diocesi Pragensi construxit solempne monasterium ordinis sui, quod *Scalis* dicitur. In omnibus fenestris monasterii pinxit Ecclesie Mindensis insignia, ad ejusdem Ecclesie honorem ibidem moritur. Nam Kal. Maji hic assumptus est anno M CCC LXI.

## XLII.

**G**erhardus II. ex Comitibus de *Schowenborch*, patruus primi *Gerhardi*, XLII. Mindensis Episcopus. Huic sextus *Innocentius* VI. ydus Januarii, Anno domini M CCCLXII. de thesauro

(\*) Cronica superius extans sæpe in hoc Chronico Mindensium Ep. allegatur; neque tamen hæctenus in MSs variis inventa est.



auo ecclesie Episcopum faciens, providit. Hic magnæ prudentiæ & astutiæ vir erat, in tantum, quod ab omnibus vicinis etiam timebatur. Fuit enim tempore Diderici Episcopi Ecclesie tutor & Commissarius in sua absentia, & interim facta militiæ studiosè exercens, sic quod ubicunque in aliqua expeditione, ad aliorum nobilium rogatum, illud poeticum vulgare: Quid erit, si creverit alter, dicebatur. Unde Episcopus consecratus & factus, prudenter se & bene ac pacifice, prout in metro sequenti patet, gessit:

Hic est Gerhardus de Schowenburg, nullibi tardus  
Qui cum processit, prudenter singula gessit:  
Clerum Mindensem, clavem bene rexit & enssem.  
Oppida construxit, detractaque castra reduxit.  
In mensa princeps, in militia fuit anceps.  
Cur sibi non pœna, sed sit Domini, peto, cœna.

Oppidum *Petersbagen* fossatis & aliis requisitis immunivit, quæ antiquitus *Hockelene* dicebatur, & parochiam in opidum transtulit. Cum civitate Mindensi aliquo tempore non bene concordabat, propter aliquas exactiones & inconsuetas, sperans eos per hoc, si processum, ut cogitaverat, prosperum habuisset, suæ ditioni, & suorum successorum in perpetuum subdidisse. Sed libertas prævalet cunctis mundi divitiis. Nam in tantum diligebat bona Ecclesie suæ, quod mater sua carnalis habens castrum *Buckeborch* non audebat eum plus quam tribus vel quatuor intrare, ne expelleretur, & obtinuisset castrum, ex quo est in territorio Mindensi. Et si supervixisset ad aliquot dies, habuit in mente unum novum castrum in *Peteschen* fundasse; sed proch dolor! fuit morte præventus. Unde Comes *Engelbertus de Marca* circa festum sanctorum Petri & Pauli Episcopo favente, ex causis præmissis, usque in diem tertium frustra obsedit. Ex quadam enim liga & confederatione, quam cum *Adolpho de Schowenborch*, *Wedekindo de Monte* & comite *Johanne de Hoya* habebant; & hii germanum Engelberti in captivitate detinebant, causa erat obsidionis prædictæ. Sequenti anno cives fossatainter camerarum privatas Canoniorum, & portam *Priggenbagen*, nonnullis, qui ad sobrietatem sapere nesciebant. reclamantibus, pro civitatis firmamento fecerunt. Transitus enim & viæ ad libitum exeundi & intrandi per murum & vias camerarum, quæ ultra murum extendebantur, volentibus patebant, & per hoc pericula non modica civitati & ejus habitatoribus imminabant. Hiis periculis non obstantibus, violentia & temeritas contra cives fuit allegata, & quod nonnullos terminos, qui sui juris non sunt, notabiliter excederent. Ad hanc disceptationem & displicentiam sedandam privilegiis fuit probatum, quod fossata dictæ civitatis absque offensa cujuscunque licitum est eis ampliare, quantum vir robustus, stans in muro civitatis pondus plumbi unius libere possit versus campum undique jactare. Hiis probatis prædicta lis & controversia sopita est & finita. Anno igitur domini MCCC LXVI. nescio, quo suo spiritu instigante & inspirante, hic præful cum fratre suo *Adolpho Comite Schowenborgensi* in magnam Ecclesie Mindensis desolationem, terram sanctam visitare volens, in mari moriens, diem clausit extremum, in profesto sancti Michaelis Archangeli. *Adolphus* vero in civitate Cypri *Famagusta*, transiit die XII Octobris; Sepultus, ut intellexi, apud Fratres prædicatores. Cum mors horum ad audientiam fratrum eorum nunciabatur, statim munitionem, quam Gerhardus in villa *Peteschen* erexerat, deposuerunt. Versus ad commendationem Gerhardi habentur, supra.

## XLIII.

**O**tto nobilis de Vettyn, natione Misnensis, decanus Maguntinensis, XLIII. Episcopus. Iste per *Karolum IV.* promotus, episcopatum Mindensem promeruit. Mindam in vigilia corporis Christi intravit solempniter: Statimque infirmatus, & hydropisi gravatus, tandem in nocte S. Alexii confessoris, hora quasi decima post solis occasum, anno domini MCCC LXVII. transiit ad dominum. Sepultus est in choro Fratrum Prædicatorum ante majus altare manibus Canoniorum & non sine multorum lacrymis & gemitibus. Magna enim spes & Ecclesie profectus de suo regimine, eo quod in aliis certæ scientiæ experientiam habebat. Versus:

Præful famosus, venerabilis & gratiosus  
Sedis præsentis, hiis conditur in monumentis,  
Cujus cognomen de Vettin, Ottoque nomen.  
Mil trecent L & X octavo mortis eum lex  
Interimens stravit, Allexius hunc & humavit.

Eodem anno *Symon de Lyppia* oppidum *Lubbeke* cepit, in nocte Magni confessoris, idque spoliatis incendit. Eodem anno cives Mindenses castrum *Flotowe* & *Vornholze* ceperunt & partem igni tradiderunt. Anno verò sequenti Reverendus pater magister *Johannes de Berchusen* migravit ad dominum, sepultusque in Brugis. Eodem anno MCCC LXX ipse die Martiæ



gretæ virginis Pater frater *Johannes de Loen* viam carnis universæ tranſiit, ſepultusque in *Tremonia* ante portam conventus ibidem. Eodemque anno videl. LXX ipſo die beati *Dyonisii* martiris recolendæ piæ memoriæ frater *Henricus de Hervordia* poſt labores, quos in ſtudento, dictandoque utiliter inſudaverat, migravit ad Chriſtum, ſepultusque ante hoſtium chori verſus ambitum. Sed per *Karolum Imperatorem* honorificè ſepultus in choro, cum decenti ſepultura.

## XLIV.

**W***Wedekindus* XLIV *Episcopus*. Ex advocatis nobilibus de Monte præpoſitus eccleſiæ, anno domini MCCCCLXX, II ydus Junii, pontificatus Urbani V. anno VII. dignitatem ſuſcepit & VII die Octobris Mindæ eſt introductus & pro Episcopo receptus. Item notandum, quod mortuo *Ottone Wedekindus de Monte advocatus*, militari gladio, virtutibus & fama gratioſa ubique notus & ſuccinctus, in Episcopum velut alter *Martinus*, concorditer electus & poſtulatſus eſt. Sed quia circa confirmationem ipſius minus prudenter agebatur (per ſe enim iter verſus curiam Romanam arripuit) loco ſui alter *Wedekindus hujus germanus*, videlicet Præfectus ſubſtituitur. Iſte magnanimus & victorioſus *Fredericum Brunſwich* ducem in bello vicit, & caſtrum ipſius *Erici de Hoya*, (\*) ut poſtea dicitur, evertit, cum paucis militariſus. Eodem anno die, Sanctarum undecim milium virginum, exercitus *Ducis Magni Brunſwich* civitatem *Lunenborch* ceperunt capere: Sed in civitate innotuit eis: Nam fuerunt aviſati per prædictum *Wedekindum advocatum*, qui fuit inimicus ipſius ducis. Sic cives permiſerunt inimicos, quotquot voluerunt intrare. Tunc cives vociferati ſunt in civitate; *Sla dot, Sla dot*. Tunc amplius nemo audebat intrare per muros. Sic omnes iſti fuerunt capti per cives. Tunc omnes, cum quibus civitas habuit nota, miſerunt ad tales tres vel quatuor, dicentes: Tales petunt tibi licentiam ad aliquod ſpatium, & tunc immediate decollati ſunt, ut ſic ultimus uſque ad omnes conſummarentur, qui in antea dereliquerunt civitatem. Anno primo *Wedekindi* facta eſt in *Westphalia* pacis & concordie quædam confederatio, quæ *Lantfredæ* nominabatur; quæ ſic habebatur, quod ruſtici in agro pacem habebant, quod nullus audebat tangere tam pecora, quam homines, qui erant circa aratrum. Illud durabat per aliquot dies: cujus autor *Hinricus* dictus *Speygel* *Paderbornenſis* Episcopus exſtitit glorioſus. Item *Comes Otto de Schowenborch* ducem *Magnum de Luneborch* juxta villam *Goltorn* in conſictu proſtravit, Anno domini MCCCCLXXIII. & occidit. Anno eodem platea piſtorum à vico *Hellinckſtrate*, uſque ad portam per ignem deſtruitur. Tunc, niſi Deus reſpexiſſet, major pars civitatis periſſet. Mira res. Capellano eccleſiæ majoris cum corpore domini adveniente, & contra ignis vehementiam opponente, ventus borealis in auſtralem ſubito mutatur, & ignis flammam depreſſit. Unde populus hoc videns, dedit gloriam Deo. Item tempore eodem ſanctus vir *Felicianus* martyr miraculis choruſcare cepit, & antiqua beneficia innovare. Quare *Wedekindus* hujus feſtum celebrari mandavit per totam eccleſiam *Mindenſem*. Hujus ſacra catena, (\*\*) qua Romæ legitur tractus, in ſacriſtia, ut dicitur, miraculoſe fuit decano per viſionem oſtenſa & inventa, ut habetur ſupra capitulo de reliquiis. Anno *Wedekindi* VIII. Domini vero MCCC LXXVII. fuit magna Wyſeræ inundatio, & aquæ tantum creverunt, quod ad medium fori quaſi pervenerunt, ipſo die *Scholasticæ* virginis. Eodem anno XV. menſis *Novembris*, *Karolus IV. Mindam* intravit, ac ſolempniter ibidem receptus, in conventu Fratrum prædicatorum uſque in diem tertium permansiſt, non tantum ſua imperiali præſentia, ſed etiam donis & eleemoſynis lætificans eosdem. De tali introductione habetur ſupra in *Chronica*. Anno eodem in menſe *Januario*, Imperatrix ſequens in profeſto ſancti *Pauli*, primi heremite, *Mindam* intravit. Item eodem tempore Fratres *Minores* capellam in monte *Wedegonis* verſus *Hervordiam* in via peregrinorum, & alia, ædificare ceperunt. Anno *Wedekindi* X. in caſtino ſancti Urbani lapides non ſolum grandinum, ſed etiam aliorum lapidum naturalium ad quantitatem ovorum pullinorum & amplius, apud *Mindam* ceciderunt, fenestras Eccleſiarum, ſegetes, & arbores multas deſtruentes. Hæc enim tempeſtas ex pluvia, grandine & tonitru fuit adeo terribilis, quod nullus hominum ſimile meminerat ſe vidiffe. Videbatur peregrinis de monte *Wedegonis* venientibus, quod quidam globus igneus immenſus, & tenebræ horribiles ſupra civitatem ſtarent, ſic quod dictæ civitatis ruinam timebant imminere. Unde exſtant verſus:

M trecenteno cum nono ſeptuageno,  
Mindæ diſtrictus conterrent fulminis ictus,  
Pentheque profeſto feria quinta memor eſto.

Eodem anno reliquiæ ſancti præſulis *Barwardi Hildenſemendiſis*, cujus dies eſt ſequenti die *Elyſabeth*, per donationem *Bodonis de Oberge*, de conſenſu conventus ſancti *Michaelis*, monaſterium

B b

(\*) In *Maderiano* Codice eſt: & caſtrum ipſius de *Hoya*.  
(\*\*) *Maderus* putat, forte legendi. *Cataſta*.



*sterium sancti Pauli* cum aliis pretiosis, & diversis sanctorum exuviis, sunt translata. Item *Wenslaus*, filius Karoli quarti, patre presente apud Aquisgranum in Regem Romanorum est coronatus. Item *Wylbelmus Comes montis ducatus dignitatem est consecutus*. Anno Wedekindi XIII. *Gerhardus Episcopus Hildensemensis* opidum *Wunstorpe* cepit, & occupare proposuit. Sed quod germanus suus sedi Mindensi præerat, manum potentie sue retraxit, & beato Petro, cujus est in parte proprietas reverentiam in hoc se exhibuisse asserbat. Penultimo anno dissensio inter Episcopum & cives de quodam novo theloneo ab Imperatore impetrato, & inter *Comitem Ericum de Hoya* & Wedekindum suborta est, sicut multotiens inter Episcopos Mindenses & *Comites de Hoya* factum est. Ericus ergo intelligens Episcopum ex hoc auxilio destitutum æstimans, audacior ex eo factus, castrum *Depenowe* in fundo Ecclesie ipso die XI. millium virginum in Episcopi odium erexit, sed quia istud non tantum Episcopum, sed etiam cives pressit; cooperante *Gerhardo Episcopo Hildensemensi* & *Ottone Comite de Schowenborch* in die septem fratrum, cum per quindenam obsiderant, ceperunt & igni tradiderunt. Anno vero eodem in profesto sancti Ambrosii Mindenses Castrenses *Uchte* & opidanos *Uchte* impugnant spoliis diripiunt & igni ex integro, domo principali excepta, tradiderunt: & si nocte illa inibi pernoctassent, & secundum poetica, fortunam tunc ardentem juvando mansissent, castrum cum omnibus obtinuissent, Anno eodem Mindenses castrum *Petersworde*, non longe à castro *Uchte*, erigunt, & prosperatum est opus in manibus eorum. Ericus videns se de facili nec manu armata posse resistere, ad dolos se convertit. Unde suburbium piscatorum in *Minda* tempore nocturno patris in memoriam de incendio suburbii sanctæ *Marie* renovans, invadit, & in parte succendit. Sed piscatoribus concurrentibus expulerunt eundem. Hii enim tunc temporis fossatis & aliis ad defensionem necessariis carentes postea, ut nunc apparet, emendabant. Eodem tempore *militares de Werpe* castrum quoddam, nomine *Haddeborch*, erexerunt; & quia istud non in favorem ecclesie, ut communis opinio tenebat, Deo mirabiliter disponente, anno Christi M CCC LXXXIII igne absumtum est in toto, quod non apparuerunt vestigia alicujus ædificii. Unde æmuli sui secundum castrum ejus nomen insultantes clamabant: *be hadde eyn borch*. Quasi dicerent habuit & nunquam decetero habebit. Dominus ergo, in cujus dextera longitudo dierum est, volens dies Wedekindi in pace terminare, penultima die ante suum exitum ex hoc mundo, prædicta discordia terminata fuit. Hic castrum *Petershagen* firmare volens, ædificium pulchrum & sumptuosum in forma turris erexit, ponens ibidem, quod nunquam post obitum suum consummatum est. Temporibus istius celebratum est *quintum capitulum fratrum Prædicatorum in Minda* in festo sancti Michaelis: Cui venerabilis beatæ memoriæ Pater Frater *Johannes de Ovenstede*, tunc prædicti monasterii prior, præfuit, qui ipso die sancti Remigii Episcopi anno domini M CCC LXXXIII de hac mundi miseria, beneficio mortis mediante, ereptus est. Hic cum de Lemego, ubi obierat, in curru fuisset adductus, tanta populorum convenerat multitudo, quod in civitate Mindensi in morte cujuscunque nullus meminerat se simile vidisse. Unde sicut eo vivente ad audiendum Dei verbum (sicut erat egregius Prædicator) multos convocaverat & attraxerat: sic simili modo dominus eum in morte, multorum præsentia, non sine gemitu & lacrimis multorum, honorare dignatus est. Sepultus est ante hostium domus Capitularis feliciter in domino. Transivit pontifex virtuosus & victoriosus *Wedekindus* ex hoc mundo in profesto Dominici confessoris, sepultus in majori ecclesia inter altaria *Regum* & *X. Millium* martyrum, à progenitoribus suis fundata, anno Christi M CCCLXXXIII, & vacavit sedes XXIII septimanis. Versus:

Mille trecenteno tertio simul octuageno  
Dominus Mindensis obiit Wedekindus.

## XLV.

Otto hujus nominis tertius in ordine Episcoporum XLV. Iste ex nobilibus Montis, præpositus sancti Mauricii extra muros Hildensemenses. Huic ab Urbano VI anno MCCC LXXXIV. XVII. mensis Februarii apud Neapolim de Episcopatu Mindensi provisum est. Anno primo hujus aula pontificalis in *Minda* destructa per eum renovatur. Similiter & campanale ecclesie majoris, videlicet horologium, in melius commutatum & reformatum, & major in tecto, eodem anno. Iste opidum *Holtesmynne* cepit, & spoliatum per ignem consumens, *Symoni de Lyppia*, *Lubbeke* diripiens, vicem rependit. Anno sequenti in profesto sancti doctoris Thomæ hora quasi sexta, ante meridiem, facta est tempesta permaxima, arbores innumerabiles destruens, unam de absidibus turris sancti Martini in *Minda* amovit: Et hæc tempesta tam vehemens & tumultuans fuit, quod vicini districtæ ecclesie strepitum campanarum audire non poterant. Anno III Wedekindus, Dominus Montis, nobilis advocatus, & ultimus dominus temporalis, virtuosus & famosus in die sancti Sixti Papæ moritur, & ante altare trium Regum ad caput matris sue sepelitur. Eodem anno Dominus Otto Episcopus à militaribus *de Padberge* captivatur, & in castro *Padberge* incarceratur, & carè redimitur. Anno M CCC XC militares *de Cappel* ipso sacro penthecostes die inter misfarum



farum solempnia; Vincke & sui complices; intraverunt armata manu Ecclesiam Montis, & spoliaverunt eam, & tandem igni tradiderunt. Tunc *Henricus canonicus* accipiens corpus dominicum, quod ibidem in vitro habebatur & portavit ad cimiterium ejusdem. Qui, ut asserbatur, tandem dolose & fraudulenter operabatur, quod sanguis miraculosus fuisset in ista Ostia factus. Quod examinatum fuit per Reverendum dominum *Hinricum Episcopum Ypovenensem*, *Gherardum Priorem provincialem per Saxoniam & Magistrum in Theologia*, & *Lambertum inquisitorem hereticae pravitatis* cis Renum & Albim, ordinis prædicatorum, nec non aliorum ordinum professores, quorum fretus consilio, præmissio quidem reverenti, & quantum poterant, diligenti examine, permisit, ut universitas fidelium ad stupendum miraculum, prout devotio cujuslibet exigebat, accederet, adducerentque pueros suos ad videndum, quatenus ipsi, qui pro patribus nati erant filii filiorum, narrarent ea filiis suis &c. Sic quod visitabatur talis locus, ut in *Wylsnack*. Nam *Theodericus Pellificis*, capellanus in monasterio *Quernbeim*, dicebat michi multotiens, quod ipse cum Priorissa ibidem, & cum sanctimonialibus ejusdem monasterii fuisset ibi pro indulgentia. Sed Deus non patiebatur istis nobilibus talem ydolatriam exercere: nam ultimate venit ad lucem, quod ille dominus *Hinricus* propter quæstum fecerat. Tunc boni domini noluerunt ydolatriam exercere, & sic evanuit ex oculis hominum; quia voluerunt nihil habere, quod famam eorum denigrasset. Tempore eodem, anno videlicet Christi M CCC LXXXVIII consuetudo ab antiquo de matutinis dicendis media nocte observata, ut de mane dicerentur, fuit, nescio quo spiritu dictante, ordinatum. Similiter (\*) fuit ordinatum anno M CCCC LVIII videlicet Pauli & Petri in profesto visitationis. Sed paucis placuit. Anno eodem XXVII. die mensis Maji, ipso videlicet die tunc corporis Christi, commissum est bellum inter duces *Hinricum & Fredericum de Brunsvich*, & cives de *Luneborch*. Horum parti *Otto Episcopus Mindensis*, *Otto Comes de Schowenborch*, *Ericus & Otto de Hoya* & alii plures favebant. Hii omnes cum suis bello congregiuntur juxta villam *Wynsen*. Et hoc asseritur, quod iste *Otto Comes de Hoya* fuit in culpa maxime ex eo, quod fuit unus fluvius prope, quem si transfisset, tunc nullum periculum habuisset. Sed dixit ille comes teutonicis verbis: *Maniel godes de berenclau vluden nu wertde*. Tunc juxta villam *Wynbusen* vel capti vel mortui fuerunt. Anno eodem *Gerhardus de Monte Episcopus Hildensemensis* conventum carthusiensem apud *Hildensem* fundavit, ubi post obitum suum sepultus est. Nam nonnulli asserunt, quod triumphum habuit ex bello, qui sibi in nocte præterita revelatus fuit, mediante virgine gloriosa. Unde dicitur in proverbio: *Schuf nu leue Maria*. Quod habita ista victoria idem fundavit Carthusiam. Anno domini M CCC LXXXIX *Symon de Lippa* domum Dei in villa, dicta *Schoetemer* in speluncam latronum commutando, in castellavit, & turrim illam solempnem, quondam patriæ decus existens, evertit. Anno M CCC XCII *Lubicenses* cives opus multum sumptuosum & difficile, ut per *Albiam* prope *Luneborch* navigio ire desiderans, per fossatum illud *Lubeke* adire posset, fecerunt. Eodem tempore Ecclesia parochialis in *Mandelsto* per *Theodericum de Mandelsto* fuit creata in collegiatam ecclesiam, videlicet in sex canonicos & duos vicarios. Nota, ista bona, quæ pertinebant ad fraternitatem sancti *Ostdach*, fuerunt apposita: & *Theodericus* suprascriptus apposuit CC. marcas puri argenti. Sed cum istis ducentis marcis non fuit prosperatum, quia nemo scit, ubi ista pecunia mansit. Et iste sanctus *Ostdach* fuit dux *Burgundiæ*, & unus de istis, qui (\*\*) domino Papa martirisatus est apud *Luneborch*, in die sancti *Petri* ad vincula, ut habetur supra in gestis tertii Episcopi beati *Theoderici*. Iste sanctus *Ostdach* habuit sororem unam devotam, quæ libenter habuisset corpus fratris sui, & destinabat se versus *Luneborch* & petito corpore & licentiato, petunt à Deo signum ad invenendum. Statim exilivit corpus ex aliis, & habens adhuc clypeum cum armis. Tunc ista virgo gavisâ est ultra modum & assumens corpus in currum, voluit versus patriam. Cum veniebat ad locum *Mandeslo* tunc non potuit cum curru ire. Quod ipsa intelligens, statim cepit ædificare unam (\*\*\*) satis pretiosam, & comparavit XV. mansos pro sustentatione sacerdotum & ædificavit unam capellam ad latus Ecclesiæ, in qua posuit corpus sancti *Ostdach*. Item dux *Magnus de Luneborch* obsidebat *Mandeslob* per annum, tandem cepit. Tunc voluit destruere Ecclesiam & turrim & nemo audebat facere. Tunc ipse irato animo arripiens baculum seu lignum & percussit januam & destruxit penitus turrim. Et asserunt, quod anno revoluto eodem die & eadem horâ sit percussus cum *blyda* & privatus una cocfa, & post paucos dies vitam finivit. Ecce, eo pede, cum quo frivole percusserat domum Dei & ecclesiam beati *Ostdach*, cum maximo dolore privatus est, & per continuas guerras non potuit prosperare illud collegium; Sed ibi decanus cum uno canonico, & alii canonici habent incorporatam istam novam Ecclesiam beate virginis extra muros opidi *Honover*: Item nota, quod ducatus *Luneborgensis* non fuit primitus unus ducatus cum ducatu *Brunsvicensi*, sed fuit proprius ducatus. Sed tandem fuit orbatus & viduatus, quod neminem habuit.

(\*) Hæc periodus deest in Maderiano Cod.  
 (\*\*) Deest aliquid.  
 (\*\*\*) Deest ecclesiam.



heredem ex masculino genere, sic per fœminas devolutus est ad duces Brunsvicenses, qui acceperunt filias Regum istorum Ducum, & fuerunt uniti in unum, & sic stetit per longa tempora. Sed modo est etiam divisus & dispersus. Nam circa annos domini MCCCLVIII exercebant capitales inimicitias inter se. Nam *Bernhardus dux Lunenburgensis* destruebat ducibus *Brunsvicensibus den Rodenwold*, cum omnibus ædificiis, & rapiebat pecora ibidem, & omnes pene rustici capti sunt. E contra *dux Fredericus Brunsvicensis* jacebat in territorio Luneborgensi pene per sex dies, & comburebat apud *Walsrade* omnes villas; & unus jacebat apud castrum *Bringe* cum exercitu, & alter apud castrum *Welp*, & nullus eorum triumphavit; & *domicellus Johannes de Hoya* fuit cum ducibus de Luneborg: Similiter *Episcopus Verdensis*. Item circa idem tempus videlicet circa annos domini M CCC XCII. obiit *Johannes de Monte* archidiaconus in *Osen*. Item anno M CCC VII (\*) Dominus *Symon de Monte* præpositus major, qui fuit vir modestus & prudens, quia tempore suo, videlicet anno à nativitate domini MCCCLXXXI. mense Septembri. die XIII celebrata separatio inter Præpositum & Capitulum, quod amplius nollent ministrare præbendas, de quibus quottidie rixæ, guerræ erant inter Præpositum capitulum, ut patet per separationem desuper confectam. Item fuit ita humilis, cum fuit in choro, & non erant ibi cantores, quod ipse cum capitulo cantabat. Item ad breve spatium ante obitum suum incipiebat cantare antiphonam istam, quæ stat in vigilia assumptionis super *Nunc dimittis*: Ista est speciosa per quam innuitur, quod aliquam spiritualem habuit visionem. Ante cujus transitum ad triduum pars superior aulæ, quondam *Wedekindi regis*, nunc præposituræ, mortem ipsius præmonstrans cecidit. Mortuo autem *Symone*, Deus, cujus judicia abissus, multa circa ecclesiæ suæ dilatationem ampliari volens, & beatum Petrum & beatum Gorgonium heredes sibi eligens, *dominium Montis*, de quo sollicitus diu erat, ad manus capituli & civitatis Mindensis tradidit, hiis conditionibus servatis, ut Episcopi futuri curam sedulam habitationis in *castro Montis* teneant, Castrum nemini loco pignoris exponentes, assignavit. Et parcat Deus istis, qui non impleverunt voluntatem suam. Nam ipse ordinavit, quod homines istius domini debuissent esse liberi, & si aliquæ inimicitia contigissent inter Episcopum & civitatem Mindensem, tunc homines istius domini deberent esse neutrales, quod nulli parti auxilium præberent. Hic præful venerabilis quantum Ecclesiam Mindensem dilexit, factis suis insigniis jam dictis evidenter est ostensum, & patet per metra sequentia. Anno domini M CCC XCVI. pretiosa & argentea capitis testa pro reliquiis sancti Feliciani ordinata per istos dominos Montis. Vivente domino *Ottone Gerhardus de Hoya tutor & Episcopus futurus* designatur, ut ipse *Otto* quietus domino ferviret; Ideo ipse Episcopus hoc ordinavit & petivit. Sed dominus cujus judicia nemo novit, Postulatum per mortem ad se revocavit. Tunc Episcopus constituit *Wylhelmum Buschen* tunc Præpositum ecclesiæ majoris in Advocatum generalem; Nam fuit homo temporalis; quia Episcopus fuit vir habens ætatem & fuit debilis in pedibus, sicut omnes de cognatione (\*\*) sua erant. Et iste *Busche* tenuit post mortem Episcopi *castrum Montis & Petershagen*, de quo plenius infra in Gestis suis dicitur. Sedit autem Episcopus *Otto* XIV annos, VI septimanas, & quinque dies; sepultusque in sepulchro primitivorum Episcoporum in medio chori sub corona ante majus altare, ubi habentur isti versus ad laudem ipsius:

Conditur hac tumba vir nobilis, atque columba  
 Simplex & rectus, heu! nunc in corde rejectus,  
 Præful Mindensis *Otto* de Monte vocatus,  
 Laudibus immensis cleri vulgique probatus,  
 Ditans hanc sedem cum Monte suo, quia Christum  
 Fecerat hæredem dotando locum magis istum.  
 Cur vos patroni rogitantes surgite proni  
 Petreque Gorgoni, poscatis, eumque reponi  
 Consortem throni, reddendo vicem dacioni  
 Tam grandis doni, quod cessit huic regioni.  
 M ter centenis L & X quater octoque punctis  
 Ipsum defunctis dat præmia jamque (\*\*\*) cunctis.  
 Inclita virgo pia dicto succurre Maria,  
 Quæ sunt absque bria sanctorum gaudia dya.  
 Hic jacet electus *Otto* præful modo tectus,  
 Qui meritis magnus fuit, mansuetus ut agnus.  
 Huic duo castra dedit sedi, quo tempore sedit,  
 Et sibi districtum Montis genitore relictum.  
 Pro quo Christus ei tribuat sedem requiei.

An-

(\*) Forte scribend. est: *MCCCXCVI*.(\*\*) Mader. *agnatione*.(\*\*\*) Forte: *jam quoque*.



Anno domini MCCCXCVIII. in sacra nocte circumcisionis domini obiit: qui dedit pro memoria sua decimam in *Nammen*.

## XLVI.

**M**arquardus de Rantdege, vir sani consilii, nobilis, filius Patriarchæ, natione Austriæ, per Bonifacium IX. promotus XLVI Episcopus Mindensis, Anno domini M CCC XCVIII. (\*) Interpretatur quasi *marcam custodiens*. Iste in crastino sancti Thomæ Apostoli Mindam solempniter introductus, ut supra de introductione episcopi patet, & receptus est pro Episcopo. Tunc ille *Busche* objiciebat se ei, qui habuit *Montem & Petershagen*: Et ille princeps jacebat hic in civitate per hyemem, multa placita hinc inde habens. Nam locus sibi optime placebat, & multoties solitus erat dicere, quod vellet omnia debita ecclesiæ Mindensis persolvere, si posset hic quiete vivere. Sed ille *Busche* intulit sibi multas injurias. Nam solebat dicere in proverbio teutonico: *Buschen hogenmod, Rantdegen pagenschyte*. Sic stantibus in obstaculo, contigit vacare Constantiensem: & de illo provisus est per Papam. Sic cunctis sperantibus, quod vellet hic manere, feria 2. post Palmarum, summo mane, in præjudicium & magnum dampnum Ecclesiæ recedebat. Nam quam diu Episcopi veniebant, hinc inde, unus de *Bavenberge*, alter de *Magdeborch*, tunc bene stabat ecclesia. Verum alter in crastino sancti Anthonii abbatis, cum multis pecuniis auro & argento multis dolentibus recessit. Et erat hic tunc, sicut modo est, quod nullus habet respectum ad Ecclesiam, sed omnes quarunt propria lucra, & instigaverunt istum *Wylbelmum Buschen*, quare non vellet libentius esse dominus, quam servus. Et quanta mala & turbationes, guerræ & dissensionnes ex suo recessu causabatur præfulatus sui successoris, per quem omnia mala Ecclesiæ heu! provenerunt de consanguinibus suis. Et quia spes apud multos de suo reddito habebatur, & non obstante impedimento contradictionis, quam à suo successore, castrum *Petershagen* violenter occupante, fuit passus. Versus pro recommendatione ejus:

Provisum Romæ provexit crastina Thomæ  
Pontificem Mindæ, mox Anthonius tulit inde.  
Papam visurus vadit præful, rediturus,  
Cassans objectus, rediensque per omnia rectus.

## XLVII.

**V**ilkinus in ordine XLVII. ex *militibus Buschen*, dictæ ecclesiæ major Præpositus, postulat per decessum *Rantdegen*, sed non hunc elegit dominus. Hic recte, velut alter Saul rex, ex electione sua elevatus, metrum satis notum in eo exstitit completum:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:  
Cuncta ferit cum cunctaque timet, cunctisque minatur.

Agilitatem sive parvitatem corporis soliditate & magnanimitate, quæ in principibus quasi ornamentum quoddam dinoscitur complere se æstimans, elatus, pertinax & in propria astutia, velut baculo harundineo, incumbens & sumptuose confidens, ab omnibus exosus haberi cepit. Et cum cuncta, quæ cæli ambitu continentur, pariter veritatem, quæ Deus est, non amet, cepit sibi adversari. Prodidit enim fastu, quali prius astutia, vulpino more, intraverat, præsumens favorem fortunæ amplioem se habiturum quam antea. Sed non sic impii. Elevatus enim in altum, secundum poetam, casu cecidit graviori. Fortunæ enim facies & favor, quæ sibi prius faciem placabilem offerre videbatur, post semper deorsum se evidenter præbuit. Et quia pacis auctorem non timuit, non dilexit, Ecce! ex Dei permissione, propter discordiæ tribulationes, & litem inter capitulum & civitatem ex una parte, & sui ipsius ex altera movit: qui tamen contra eum ad curiam appellabant. Duravit autem hoc schisma à festo omnium sanctorum usque ad festum palmarum inclusive, & placitis intervenientibus prædicta controversia cum capitulo sopita. Et quia in hiis ad plenum se vindicare non valens, ad partem inermem, ut putabat, & debiliorem, videlicet Christi pauperes, fratres prædicatores in Minda, ex eo, quod solo capitulo & civitati in appellatione astabant, de quo convenienter supersedere non poterant, hostiliter sine misericordia invasit, eos vivo vocis oraculo & mandatis suis & infamiæ libellis obnubilans, ne in Ecclesiis sibi subiectis ad facta ecclesiastica admitterentur, inhibuit. In hiis angustiis horum pauperum turba, quamvis ex hoc nec capitulum, nec consules, nec consilio nec auxilio ut serius promiserant, velut Pharaonis pincerna oblii, subveniebant in prædicta persecutione usque ad mortem Episcopi: quia secundum Prophetam maledictus, qui confidit in homine. Et quia Deus omnipotens, suorum, tempore oportuno auxilium non subtrahens, non obliviscitur, quamvis ad tempus suos, ut probentur, misericorditer permittit: ecce

Bb 3

Dei

(\*) Mader. MCCCXCVII.



Dei manus valida, quæ Pharaonem in mari submerfit, Holofernem per mulierem capite amputato detruncavit, Reges Amorreorum & Og regem Basan persecutores filiorum Israel, tradidit; regem Baltazar mane, thecel, phares, scribentem vidit, eadem improvise, hora qua minime putavit, se contra hunc extendit in febris accessione, & per apoplexiæ tactum, sedentem in sede, ut duplici contritione vexaretur III. die mensis aprilis sustulit de medio. Episcopus enim *irarum quondam distavit amarum, hunc licet ignarum vivere posse parum.* Hic enim fatum secundum poetorum opinionem, certo annorum cursu, quibus & ipse anti-christus regnabit, honorasse videbatur tempore & tempora & dimidium temporis, paulo plus minusve; velut vir sanguinum & dolo plenus, dimidians dies suos, vixit hic alter Ysmael. De quo dicitur in metro:

Omnibus adversa manus Ysmael & vice versa.

Modico enim illo tempore, quo rexit, in magnis ambulabat, nomen in baptismo sibi impositum solempniter velut immutavit, *Wilhelmum* se tanquam præsumtuosum nominans. Terram sanctam visitans *librum* quendam *paganicum* intra pulchre depictam & paginatum de templo Jerusalem subtraxit, propter cujus sublationem, ut dicebatur, multi Christiani trucidati fuerunt. Castrum *Depenowe* denuo per *Ericum de Hoya* in hujus odium erigitur. Curtis ecclesiæ in villa *Laneslo* in Dei contumeliam per eundem comitem dejecit. Vel aliter de ipso Episcopo narratur. Nam postquam evanuit spes revertendi Domini *Marquardi*, ex quo adeptus fuit *Ecclesiam Constantiensem*, tunc postulatus fuit & electus *Wylhelmus Busche* & tempore laborante in curia pro confirmatione, tunc unus Cardinalis obtinuit præposituram, quam *Johannes de Monichusen* ab isto per pecuniam emit, & propterea in pecunia finivit dies suos.

Hæc duo mala feres, si fueris Simonis hæres,  
Mortuus ardebis, in vita semper egebis.

Habita confirmatione civitas noluit obedire mandatis, & similiter aliqui de capitulo, videlicet Magister *Gerhardus de Bucken*, *Ludolphus de Horne* decanus, & dominus *Johannes Rottörpe*, fuit neutralis, quia non visitabat ecclesiam. Sed omnes, qui fuerunt obedientes, expulsi sunt. In omnibus ecclesiis non habebantur divina, sed servabatur strictissimum interdictum, exceptis prædicatoribus, qui habebant divina. Propterea veniebat eis indignatio illa, de qua supra dictum est, in eodem capitulo. Nam habebant contra se pene totum clerum & capitulum & Episcopum & in summo habuerunt profanos *Arnoldum Monick*, *Schofhover*, & forte *Knop*. Isti cantaverunt missas & baptisaverunt pueros ad sanctum *Johannem forensis*: quia nullus vicarius visitabat chorum nec officii: & hoc durabat à festo omnium Sanctorum usque ad *Palmarum*, sicut superius dictum est. Tandem pontificatus, quod obediverunt mandatis Apostolicis cepit regere & gubernare. Nam anno MCCCC fecit opidum *de Insula* prope *Slotelboreb*, & dedit eis libertatem, sicut opida solebant habere; & quod possunt habere omni septimana unum diem liberum pro venditione & emptione; & quod Episcopus debet eis ponere unum Judicem, sub quo debent causæ tractari; & si possunt coram ipso cognoscere, & hoc ideo, si castrum contingit alicui impignorari, quod talis non debet istos exactionare; Et ipsi habent jus suum à *Petershagen* acquirere. Anno domini MCCCCI. impignoravit castrum *Wedegonis*, *Albardo de Busche* & *Friedrico de Kalendorpe*, qui istud postea impignoraverunt *Domicello de Lyppia*, sine consensu Capituli. Sed aliqui eum habuerunt excusatum ex eo. Nam *Comes de Hoya* reedificabat *Depenowe*, sicut superius est dictum, & ipse voluit resistere armata manu, propterea impignoravit castrum *Petershagen* *Eustatio de Mandeslo*, qui potens est; & volens servare *Petershagen* cum suis atinentiis. Sed modernis temporibus impignoratur bene castrum tribus vel quatuor millibus florenis. Sed hoc non est modo notandum. Et sic tandem morte præventus nihil contra comitem fecit, & sic perdurabat *Depenowe*. Nam fuit superbus homo, sicut solent fieri, qui ex nihilo ad honorem sumuntur; velut *Saul*, qui fuit de infima progenie, est valde superbus factus. Nam in vasculis & aliis instrumentis in castro Montis fecit deleri arma dominorum Montis, & posuit sua ad locum. Quod devenit ad notitiam *Gerhardi Episcopi Hildensemensis*, qui valde ex hoc doluit, quod deberet *Arnvogel* auferre & *lilia* poni ad locum suum. Hæc & alia similia facit, & anno domini MCCCC II. feria 2. proxima post Misericordias Domini moritur. Nam forte fuit infectus pestilentia, & cæna facta voluit ire ad tabernam, vel ad concubinam, & invaluit infirmitas, quod vix potuit ire ad castrum, & statim repentina morte defunctus est. Tunc statim unus cum equo veniens ad civitatem intimavit mortem suam. Tunc eadem hora capitulum & civitas miserunt aliquos pro custodia castri; Et ipse sine solempnitate est sepultus, & memoria sua non peragitur. Tempore suo *Dux Hinricus de Brunsvich* cepit vaccas de *Rodenbeke* circa civitatem. Nota post mortem suam consanguinei vexaverunt Ecclesiam multis annis per rapinam & dampna usque ad mortem *Justacii Buschen*, qui fuit occisus juxta *Wynthem*, anno domini MCCCC XXXVIII. tunc cessavit talis inimicitia. Inimicitia iste habuerunt originem inde; Nam tempore mor-



tis suæ fuerunt in vinculis in castro Montis certi captivi ex diocesi Osnaburgensi; & *Frederick de Haren & Amelunck*, filius *Godeken de Varendorpe* & alii. Et isti fuerunt quitati per *Henningum de Bodendick* & per suos complices. Et sic per istos fuerunt exortæ prædictæ guerræ. Nam consanguinei prædicti Episcopi habuerunt debita cum Episcopo, forte ex confirmatione & ex aliis causis; & etiam habuerunt forte partem in istis captivis; Et exinde proveniebant inimicitia inter *Comitem de Schowenborch* & civitatem. Anno domini M CCCC III Cives Mindenses, & *Comitia Schowenborchenfis* facti sunt publici inimici. Item isti *Buschen* & isti *de Rossingen* ceperunt omnes vaccas capituli, quia nulla civibus fuit cura de istis; & sic multa & mira facta sunt in regimine suo, quæ parum valebant. Nam multa dampna passa est ecclesia per mortem suam, ab inimicis suis, sicut superius est narratum. Et nota, quod aliqui sunt illius opinionis, quod, si quis esset in congregatione, qui esset sufficiens, ille deberet sumi ad regimen. Hoc innuitur nobis in isto libro de duobus; primo de *Wedekindo*, qui fuit XXXI. in ordine, & fuit nobilis, & acquisivit multa bona tam clericis quam laicis, & ampliavit diocesin suam valde. Et iste fuit primo præpositus Ecclesiæ Mindensis. Similiter iste, de quo immediate est dictum, etiam fuit ante præpositus Ecclesiæ Mindensis, de cujus gestis multa sunt narrata. Propterea valde metuendum est, quando militares recipiuntur ad regimen, quia non habent resistentiam in amicis & consanguineis, nec in sumptibus, unde possint resistere tyrannis: Nam forte si fuisset dux vel Comes, tunc *comes de Hoya* non reædificasset castrum *Depenowe*. Et dicitur *Wedekint*, quasi puer vivens secundum voluntatem, vel voluntatem habens; & illud nunquam potest proficere ad bonum. Et ista sufficientiant. **DECRETUM ELECTIONIS:** *In nomine domini Amen: Sanctissimo & beatissimo in Christo patri, & domino nostro, domino Bonifacio divina providentia clementia sacrosancta Romana ac universalis ecclesia summo Pontifici, humiles & devoti viri Ludolphus decanus, totumque capitulum Ecclesiæ Mindensis cum omni reverentia devotissima pedum oscula. Beatissime pater, pridem, videlicet de anno proxime præterito, mensis Decembris die XXII bo. me. Otto electus dictæ Mindensis ecclesiæ propter rationabiles causas, ac graves sui corporis infirmitates, gubernationi ipsius ecclesiæ præesse non valens, ejus regimini cedere decrevit, desiderans, ut admissa hujusmodi cessione Gerharde de Hoya nobili, de ipsa ecclesia providere dignaremur. Pro quo tempore tunc V. S. scripsit plenius, & nos etiam V. S. supplicavimus pro eodem. Postmodum verò, sicut domino placuit, eodem Electus prima die Januarii inopinate, quod non sperabatur, viam universa carnis ingresso, ad electionem pastoris Ecclesiæ, propter ipsum Gerhardum desideratum pastorem non processimus, sed V. S. cum insinuatione mortis ipsius Electi, supplicavimus Gerharde pro eodem: qui subsequenter & de mense Januarii presentis anni die XXVII spiritum Sancto reddidit creatori. Ne igitur Ecclesia nostra Mindensis prædicta propter vacationem diutinam pastoris solatio destituta gravia in spiritualibus & temporalibus dispendia patiatur, maxime cum Conditores canonum deliberatione provida censuerunt, quod ultra III menses vacare non debeant Ecclesia cathedralis, diem quintam proxime sequentis mensis Februarii cum continuatione, si opus foret, dierum sequentium concorditer assignavimus ad electionem seu postulationem futuri pontificis celebrandam, citatis interim absentibus, & convenientibus in termino supra dicto ad capitulum Mindense omnibus, qui debuerunt, voluerunt, potuerunt commode interesse. Tandem deliberatione præhabita, per quam formam esset in hujusmodi electionis seu postulationis negotio procedendum, placuit nobis omnibus & singulis, per viam & formam compromissi eidem ecclesiæ providere, & ad hujusmodi electionem seu postulationem procedere. Unde dedimus unanimiter nullo penitus discrepante, venerabilibus viris Dominis Ludolpho de Horne decano, Justatio de Slon, Præposito ecclesiæ sancti Martini Mindensis & Johanni de Greven canonicis dictæ ecclesiæ nostræ senioribus, plenam, generalem & liberam potestatem per totum diem tertium tantummodo duraturam, eligendi seu postulandi Episcopum de se, vel de aliis, prout expediens eis videretur, ac ipsum ecclesiæ providendi; ita tamen, quod postquam de persona concordēs existerent eligenda, unus ipsorum de aliorum sociorum compromissariorum suorum, consensu vice sua & ipsorum ac totius capituli, personam illam solemniter eligeret seu postularet in communi, & provideret ecclesiæ tantum de eadem. Commissarii etenim ipsi potestatem per nos sibi traditam acceptantes, & in partem per modum secedentes, tandem post tractatus inter se habitos, prout ipsi postmodum retulerunt, unanimiter in venerabilem virum *Wykinum Buschen* præpositum dictæ nostræ ecclesiæ concordaverunt, Virum utique providum & discretum, literarum scientia vita & moribus commendandum, in minoribus ordinibus, sed ætate legitima constitutum, ac de legitimo matrimonio & potenti militum prosapia procreatum, in spiritualibus & temporalibus multipliciter circumspæctum. Ac demum infra terminum in compromisso hujusmodi præcisum venientes in capitulum, propter hoc specialiter congregatum, præfatus dominus Ludolphus decanus, vice sua & suorum collegarum & compromissariorum, ac totius capituli, solemniter eundem dominum *Wilkinum* postulavit in hunc modum: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Cum vacet Mindensis ecclesia & pastoris solatio destituta, ne ipsa viduitatis incommoda diutius ploret, Ego Ludolfus decanus, vice mea & collegarum & compromissariorum meorum, ac totius capituli, nec non de mandato eorum super hoc facto & ad honorem Dei ac beatorum Petri Apostoli & Gorgonii martyris, Dominum *Wilhelmum Buschen* ecclesiæ nostræ Præpositum postulo in ipsius ecclesiæ nostræ Mindensis Pontificem & Pastorem. Dicit vero postulatione eidem Postulato, & in capitulo ac eidem capitulo debite insinuata & petito ab eo, ut hujusmodi postulationi suam præberet assensum; Ipse Postulatus non dissensit, sed in hiis submisit se-*

domi-



domini nostri voluntati. Quapropter S. V. tam devote quam humiliter unanimi voto supplicamus, istius postulacionem sic solempniter, sic canonicè celebratam, natam & gratam habere dignemini, & eidem Postulato de ipsa ecclesia providere, ut ipse, Deo auctore & propitiante, nobis ac toti diocesi, velut pastor idoneus præesse valeat utiliter, & prodesse; Nosque & aliorum subditi sub ipsius regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ceterum ut Beatitude Vestre agnoscat evidentius vota omnium nostrorum, in prædictis omnibus & singulis concordasse, ac in petitione hujusmodi existere unanimes & concordés, presentis postulacionis decretum Sanctitati Vestre transmittimus sigillo majori ecclesia nostra roboratum. Acta sunt hæc Minda, in loco nostro capitulari consueto, nobis inibi omnibus & singulis propter præmissa capitulariter congregatis, totum capitulum ecclesia nostra facientibus & representantibus, anno à nativitate domini M CCC XCVIII. Indictione VI. die vero Martis, qua fuit prima dies mensis Februarii, hora VI. Pontificatus V. S. anno VIII. Presentibus honorabilibus viris, Dominis Johanne, Alberto & quam pluribus aliis. Et ego Everhardus Kerckhof clericus Monasteriensis notarius publicus &c. Post mortem Wylhelmi Buschen postulatus fuit à capitulo Gerhardus nobilis dux de Monte, Præpositus sanctæ ecclesiæ Coloniensis: Sed noluit consentire, quando posset retinere præposituram. Fuit etiam debilis in membris, quod fuit insufficiens ad regendum; sed fuit introductus & habuit castrum Montis in possessione per aliquod tempus. Tunc veniebat rumor, quod Ottoni de Retzberge esset provisum de ecclesia, & ita fuit.

## XLVIII.

Otto de Retzberge hujus nominis quartus; Hic provisus est à Papa, & veniens cum literis suis, admissus est à capitulo, quia iste Gerhardus non habuit jus, nec fuit sibi cura de ecclesia Mindensi. Sed facta est divisio in civitate; una pars habuit cum Gerardo, altera cum Ottone videlicet isti de Letelen & isti de Bucken cum suis, de quo latius est dicendum. Sed clerus est expulsus, sicut tempore Wilhelmi factum est, sed civitas magis tyrannificavit, quam antea. Nam dominis, parentibus literis apostolicis, expulsi sunt de civitate: & quod pejus est privatas, quas habuerunt à principio foundationes usque ad tale tempus, de habitationibus suis ad muros civitatis omnes destruunt. Et dicebatur, quod cum Johanne de Monichusen Præposito habuerunt consensum, cum ipse cepit pecunias à civitate, quod simulavit. Sed Dominus Johannes Resler tunc canonicus, postea Episcopus Dorpensis agebat super injuriis capituli & suis in hunc modum, quod interdictum positum est per totam civitatem. Nam tunc isti profani non audebant profanare, sicut antea fecerunt; Nec Prædicatores tunc habuerunt divina. Tandem facta est amicitia inter Episcopum & capitulum & civitatem de istis privatis tunc destructis in hunc modum. Quod cuilibet canonico fecerunt unum privatum in curia sua, vel dederunt sibi pecuniam, forte octo marcas. Sed isto Resler fecerunt privatum suum ad locum, ubi prius erat, scilicet super, ubi fuit ad tempus. Civitas perdidit bellum super Strate to Vornholte anno domini M CCCC &c. Nam iste Resler habuit eos in sententiis, quod pueros portaverunt ad duo miliaria pro baptismo. Sed dicendum est modo de Episcopo. Nam sic stante ipse habuit castrum Petersbagen; & ille Gerhardus castrum Montis. Tunc tandem data est isto Gerardo certa pecuniarum summa, ut ipse recederet; & tunc Otto cepit regere. Nam tempore illo fuerunt guerræ inter Comitum de Schowenborch & civitatem Mindensem: & Episcopus fuit vir valde agilis & multum habens de aère; Nam nihil habuit præ manibus, nisi sagitare. Nam dicitur, quod una vice fecit dampnum comite de Hoya, auferendo sibi vaccas: Unde iratus comes scripsit Capitulo qualiter Episcopus offendisset, auferendo sibi vaccas. Tunc tandem inter se placita habentes, Comes dampna sua in scriptis recitare fecit. Tunc Episcopus videns unam cornicem in arbore, dixit ad unum de servis suis, da michi balistam ut sagittam illam. Videns Comes, quod nichil advertibat causam, dixit ad Borsttucke consiliarium suum; Ecce, qualis homo est iste. Et dixit ille Borsttucke: certe est homo properi capitis, dimitte eum. Tunc comes volens satisfacere termino, quod deberet quitare istum pullum, quem haberet diocesis Mindensis in curia Bonenhorst. Tunc dixit Episcopus, quod beatus Petrus nichil commodi haberet de ipso, nec etiam dampnum deberet habere de ipso: Sed iste Comes deberet sibi viam demonstrare, scilicet, quod comes acciperet vaccas, tunc vellet e contrario vaccas accipere: & sic est manita ista materia. Item accepit regalia à Roberto Rege Romanorum anno MCCCC VI. in profesto Valentini. Tunc cepit castrum Vlotowe à Luberto & Henrico dictis de Wende. Unde dominus Wernerus & Fredericus fratres detinebant partem suam cum Episcopo. Vel aliter habetur de tali Episcopo. Huic Ottoni opposuerunt se consules & civitas Mindensis, & capitulum eundem admittit, quare magna scandala & impedimenta per civitatem Mindensem passa sunt, & expulerunt majorem partem Capituli extra civitatem propter hoc, & non potuerunt esse in civitate Mindensi & elegerunt per se in oppositum Ottonis & contra capitulum domicellum Gerhardum de Monte Præpositum sanctæ ecclesiæ Coloniensis, & posuerunt tutorem fratrem dicti Gerhardi Wylhelmum Episcopum Padeburnensem, & dederunt ei castrum Montis; & dictus Otto habuit castrum Petersbagen, & fuerunt invicem capitales inimici ultra annum & dimidium, diocesin invicem devastantes. Tandem ad civitatem



tatem Mindensem revertentes dictum dominum Ottonem admiserunt: & inductus est Mindæ anno domini M CCCC IIII, die XXIII mensis decembris. Ad recuperandum castrum *Montis capitulum* & civitas dicto *Wylbelmo Episcopo* dederunt magnam summam ad duo millia florenorum, multis iuramentis fidelitatis per eum, ac suorum Vasallorum, & aliorum amicorum, non obstantibus. Habito castro capitulum & civitas Mindensis dicto domino Ottoni præsentaverunt: ut canunt statuta ecclesiæ. Habito eo castro contra clerum tyrannifavit multum sine ratione. Hic Otto fuerat inimicus cleri, fatuus, periurus, non tenens fidem cuiquam. Hic Otto impignoravit castrum *Wedegonis* cum dimidietate *Dominii Montis*, sine consensu capituli contra statuta iurata, *domicello Bernbarde de Lyppia*, pro quatuor mille florenis. Hic Otto totus fuerat fatuus, inimicus bonorum honorabilium, & omnino nequam. Hic totus fuerat luxuriosus. Ipse imprægnavit moniales, pauperulas virgines, & obiit miserabiliter. Sanctum sacramentum noluit in eum. Non communicatus, dixit, eum esse per venenum intoccicatum: & dicebatur, quod iste Proyt fecisset propter uxorem suam, Anno M CCCC VII. VII die mensis, quo supra. Nota unum incidens satis dampnabile. Nam ille Hermannus Swerte habuit pro uxore filiam ipsius Alberti Albrant; & ipsa moriebatur statim sine liberis. Tunc prædictus Albrand recipit *de gerade* ex parte filiarum suarum & denudavit sibi totam domum in tantum, quod dividebat cineres secum in foco. Nam tunc temporis pertinebant ad *Rade* proprie *alle bole vate*, tam lignea, cuprea, stagnæ, sic quod nichil manebat in domo de omnibus utensilibus: Quod immutatum est secundum ius ad hoc deputatum: & exinde pullulabat vomes totius invidiæ inter cives; quia ambo fuerunt viri superbi, & nullus deinceps potuit aliquid de alio pati. Nam inde fuit facta quædam divisio inter cives. Nam cum isto Hermannus Swarten habuerunt graviores personarum civitatis tam de consulari, quam de communitate, & de officiis: Sed cum Alberto Conradus Garffe proconsul, & aliqui magistri officiorum, & alii de officiis, & de communitate. Et istud durabat sic rixando usque ad adventum Wilbrandi de Hallermunt, do brande de Colhop uth. Et hoc ex vindicta Dei propter peccatum, quod committebant, in capitulum ecclesiæ Mindensis, propter electionem Episcopi post mortem *Otonis de Retzberge*; Cuius facti tenor sequitur, & est talis: Anno incarnationis domini M CCC VI. Indictione XV. pontificatus sanctissimi patris domini nostri domini Innocentii divina providentia Papæ VII. anno primo, die XII mensis octobris, hora capitulari, quæ fuerat hora quasi sexta, in loco capitulari & emunitate ecclesiæ Mindensis constituto, capitulo capitulariter ad contractum pro Episcopo defuncto congregato, proconsul, videlicet Conradus Garffe, cum consulibus, scilicet Ernesto Badendorp, Alberto de Letelen, alias dicto Albrant; Johanne Garffe, Albrant minore filio dicti Alberti, Gotfrido Werderman, Johanne Costeden & eorum in hac parte consulibus & complicibus, nec non quibusdam dictis, vulgari elocutione, *Bystenders*; videlicet Hinrico Proyt, Hinrico Kemnade, Hinrico Schererman, Johanne Albrand, filio ipsius Alberti; nec non tota communitate civitatis Mindensis, in quorum numero & consortio fuerat Albertus minor, & filius supra dicti Alberti de Letelen, in momento venerunt ad locum capitularem, dicentes proterve & minatorie, ut concorditer & in continenti eligerent in pastorem *Rodolphum* filium *Conradi nobilis domicelli de Depholte*, alias non deberent inde recedere. Capitulo vero respondente: Otto pastor noster pax memoriarum non est terræ tumulatus, & exequiarum nullarum factarum: de iure non possumus eligere sive postulare. Et nota, quod capitulum fuerat istius voluntatis, quod voluisset eligere istum de Depholte, si civitas non apposuisset manum. Nam valde tyrannice habuit, se civitas cum capitulo, in duobus Episcopis supra dictis, quod capitulum expulsum per civitatem. Capitulum cogitans, si consensissent civitati, quod civitas pro lege voluit habere, quem isti postulassent, quod capitulum istum ex necessitate haberet eligere. Et ideo scripserunt domino *Hinrico duce Brunsvicensi*, ut provideret eis de Episcopo, & quem ipse eis proponeret, istum vellent eligere, & quod scriberet eis voluntatem suam; & quod portaret eum cum solemnitate; & etiam oporteret assignare terminum ad convocandum concanonicos in provincia existentes, ad postulandum. Illis omnibus non obstantibus, ipsi in suis tanquam leones rugientes, in pertinacis permanentes capitulum, singularesque personas in dicto loco capitulari, manibus armatis, lanceis, cuspidibus, pileis ferreis, & chirotecis hostiliter & violenter obfederunt: ita quod capitulum sive singulares personarum aditum & exitum omnino & minime habere potuerunt; dicentes, quod eligatis in Pastorem N. prædictum, vel continue permanebitis hic. Et permanentibus personis & custodientibus in loco capitulari, interim miserunt ad castrum Petershagen præcipientes eis nomine capituli, Capitulo vero nesciente, ut propter certas causas, eis inde minime exponentibus, mitterent defunctum ab instanti, ut sepeliretur. Sic facientibus exequias, neque vigilias neque psalterium legentes, ut moris & consuetudinis est, facere potuerunt; Sed ab instanti proconsul & consules, dicti *Bystenders*, ac communitas Mindensis dictum defunctum hora quasi completorii sepeliri fecerunt apud altare Sancti Matthæi Apostoli. Ecce! qualis vita, talis finis. Quo sepulto iterum, ut canes ad vomitum redeunt, ad capitulum redierunt, & repetierunt eundem sermonem, ut eligerent prædictum N. quod corpus defuncti esset terræ commendatum. Capitulo vero respondente, ut prius; sicque personarum capitulares in loco capitulari frivole ad crastinum, quæ fuerat octava dies mensis Octobris sine esu, potu, igne tempore nocturnali, illis circumjacentibus & custodientibus, dominis



autem iacentibus super scamnis & lapidibus, capitulo vero dicente ad Conradum Gerfen tunc proconsulem: Proconsul, permittatis Rodolphum de Bordeslo, unum concanonicorum nostrorum ire ad cameram suam hic contignam, ut afferat nobis sacculum carbonum ad calefaciendum nos, quia frigus erat. Eo vero respondente in vulgari locutione, *Hebbe gy id gud, so beholde et gud.* Sed aliquis abire, favere noluit. Altera vero die, quæ fuerat IX dies mensis Octobris, hora quasi sexta & capitulari, capitulum convocatis omnibus collegiatis intimavit, quæ capitulo acciderant, & domino *Johanni Berge*, abbati monasterii in Insula, prope Mindam. Hic ad populum civitatis accedens & placita inter capitulum & populum faciens, in hunc modum: Videlicet quod capitulum non deberet postulare aliquem nullo modo ab illa hora usque ad feriam secundam, quæ fuerat XII dies mensis Octobris; & eadem die deberent redire ad eundem locum capitularem. Capitulo respondente; quod nollet postulare infra assignatum terminum. Sed e converso vellent habere cautionem, quod sine strepitu libere vellent habere aditum & exitum: hoc capitulo nomine consulum & communicatum promittentibus; videlicet Abbas & Ludolfus Corrigiator, decanus sancti Martini cum suis capitularibus, Albertus Westphal, decanus Sancti Johannis cum suis capitularibus; die vero XII dicti mensis, advenientes capitulum & personæ capitulares, ad locum eorum capitularem ante dictum, & hora consueta venientibus, & congregantibus carbones, panes, carnes, lutos, caseos, & cerevisiam portantes secum ad locum capitularem ne ferocitate communitatum, fame perirent. Et dicta in tristitia, inter locum librariæ & capitulari cum sera incluserunt, & custodia habuerunt. Dictique proconsul & proconsules prædicti *Bystenders*, ac communitas civitatis Mindensis, in quorum numero & consortio Albert Albrant minor, Albrant, Albrandi & Johan albrant, una cum Alberto Albrando, patre eorum interfuerunt. Ecce, isti fuerunt vasalli ecclesiæ, & Pincernæ præpositi Mindensis: qualem fidelitatem servabant ecclesiæ! quia isti fuerunt ductores aliorum rabidorum canum immediate sequentes, tanquam canes ad vomitum redeunt; eundem sermonem repetentes, & dicentes breviter; Eligatis nobis in pastorem, dictum *Conradum de Depholie*, alias nunquam exhibitis, vel aliquis vestrum secure unquam exhibit: non attendens verba capituli, sic de jure non esse faciendum, & capitulum singularesque personæ fortiter armatis & dire armatis manibus, ut prius, custodientes; & fercula Capituli, quæ secum ad locum capitularem asportaverunt, impediens: ita quod dictus Albrant Albrandi pulveres, videlicet *Sriibbe*, & parvos lapillos, seram obstruentes, ne reservatorium aperiretur. Et sic capitulum de suis uti, frui & gaudere minime potuerunt. Convocatis denuo, ut prius, collegiis, & perdictum abbatem intimantes eis, ut prius, & cum hoc per eos sic deceptos breviter, respondentes, non stare per eos: Sed consulentes, ut postularent, quem communitas peteret, alias non viderent remedium: & vellent stare iuri (\*) querimoniis capituli, coram iudicibus competentibus. Et illi consentientes & petentes cum illis in vasoribus, quod postularent dominum Conradum ante dictum: & cum hoc recesserunt. Capitulo vero in loco capitulari cum custodia civitatis, in quorum numero & consortio Albert Albrand minor fratresque sui Albrandus & Johannes una cum patre eorum Alberto Albrando alias dicto de Letelen interfuerunt, eis minime contradicentibus, sed magis consentientibus & iuvante capitulo per talem diem & noctem, & per alteram diem, quæ tunc fuerat XIII dies mensis Octobris, sine igne, esu & potu, & multis opprobriis, iniuriis & schandalis, verbis injuriatoris, dictis & factis facientibus, super lapidibus & scamnis iacentibus. Inhibueruntque; Johanni Kemenaden, tunc temporis generali, caupam civitatis, ne capitulo vinum venale venderetur: & turpiter valde agentibus. Nam ille Hinricus Proyte levante pede & pendente, ibi habetis unum Episcopum: & hiis similibus. Et aliqui videlicet Conradus Gerse proconsul, manus violenter in tali loco in aliquos de capitulo iniecerunt & de fenestris trahentes: & Gotfridus, dictus Werterman, Hennyngum de Bodedike canonicum, trahentes eum, ut cecidit ad lapideum parietem: & hiis similibus, quod longum esset narrare. Istis omnibus sic perdurantibus, & stantibus usque ad XIII diem mensis Octobris. Tunc venit Iohannes Brandis, rector capellæ sanctæ Annæ, & structuarius ecclesiæ Mindensis iacens unum *Wollenbrod* ad fenestram, in quo erat litera Hinrici ducis Luneburgensis, in qua hortabatur capitulum, ut eligerent *Wulbrandum Abbatem Corbeiensem*, ordinis Sancti Benedicti. Tunc aperientes & capitulum congregantes & in capitulo sedentes, & in electione concordantes, & communitati intimantes, quod essent concordantes ad eligendum; si vellent, possent audire. Eis circumquaque stantibus & sedentibus Capitulum unanimiter & concorditer eligerunt Reverendum Abbatem, Dominum *Wulbrandum de Hallermunt Abbatem corbeiensem*, ordinis sancti Benedicti, diocesis Padeburnensis, servatis prius, quæ fuerunt servanda. Electione facta capitulum immediate eis intimantes, si vellent venire ad audiendum electum, rennuerunt, confusi abcesserunt. Et capitulum postmodum fecerunt & dictam de capitulo unam constitutionem, quod nullus Consul vel communitatum civitatis Mindensis deberet amplius ad negotiandum coram capitulo in pluralitate personarum, quam sex personæ in scandalum & detrimentum *ribaldarie* memoriam dictorum, quod præ oculis haberent, quod malefecerunt.

(\*) Mader. *Viri*.



## XLIX.

**W**ilbrandus de Hallermunt in ordine Episcoporum XLIX. electus est per capitulum anno M CCCC VI. XIV mensis Octobris die & inductus est Mindæ per illustrem Hinricum de Luneborch cum CCC. equis, ipso die XI. millium virginum, quæ fuerat XXI. Octobris, eo Minda exeunte eadem nocte. Et XXII. die dicti Octobris mensis concordaverunt supra assignationem & præsentationem castrorum videlicet *Montis & Petershagen* & concordati sunt & XXII die præsentaverunt sibi castrum *Montis* contra voluntatem consularis & civitatis Mindensis. In illo tempore posuit sibi Ernestus Dornhop sedem super castrum Petershagen. dicens: Ego volo resistere, & volo, ut castrum præsentetur dominis de consulari contra consuetudines Vasallorum, mortuo Episcopo, more luciferi, qui voluit fieri similis altissimo, & more Absolonis, qui voluit regnare contra fratrem suum Salomonem. Quia iuris & consuetudinis est, quod mortuo Episcopo capitulum Mindense debet se intrmittere de castro usque ad futurum Episcopum. Sed quicquid fecit, fecit ad informationem Ernesti Bodendorpes, cuius sororis filius fuerat. Sed die XXIII. mensis Octobris eiusdem anni electo habito castro *Montis*, & cum capitulo dicto *duce Hinrico de Luneborch* Castrum Petershagen postulans prævalere non potuit & malis gressibus dictum castrum præsentavit capitulo & prædicto electo etiam contra voluntatem *Ribaldorum*. Anno domini M CCCC VII. Wilbrando provisum fuit de ecclesia Mindensi per *Gregorium XII.* & dominus *Wilbrandus de Hallermunt* Episcopus Mindensis fecit legi literas suas concessas super ecclesiam Mindensem coram capitulo, Vasallis, & communitate Mindensi V. die mensis Septembris & admissus est per prædictos in Episcopum. Hic Wilbrandus reformavit castrum *Petershagen* in ædificiis, Anno primo sui pontificatus; videlicet coquinam super Wyferam & pontem. Anno domini M CCCC VIII. indictione XV. die XXIX. mensis Novembris, quæ fuerat dies dominica ante festum *Andree Apostoli*, vicit & recuperavit potenter castrum *Wedegonis*; Nam habuerunt ibi de *grotten metten* & cum ea uno ictu iactaverunt intra muros unum magnum foramen & foderunt subtus terram, ita ut acceperint urnam de fonte, & aliqui de castro suspensi sunt. Tandem cum juvamine civitatis Mindæ & Lubbeke vicit, quod impignoratum fuerat *Bernbaro Nobili de Lippia* pro magna summa. Anno Domini M CCCC IX. tempore *Gregorii XII.* Episcopatus sui anno tertio, die vero XXIII. Martii, quæ fuerat Sabbato *fiientes*, hora consueta in Ecclesia Mindensi Reverendus in Christo Dominus Wilbrandus Episcopus Mindensis se ad ordinem subdiaconatus promoveri fecit per reverendum in Christo patrem & Dominum H. M. sacre theologie magistrum, Episcopum *Yponenensem*, tunc temporis Wilbrandi suffraganeum. Item eodem anno & indictione, quibus supra, die vero XXIII mensis Martii, quæ fuerat dominica *Judica*, idem Dominus Wilbrandus Mindensis Episcopus ad ordinem dyaconatus promoveri se fecit, hora consueta, in castro *Petershagen* per eundem Dominum Hinricum suum suffraganeum. Item eodem anno & indictione, quibus supra, die XXV. eiusdem mensis martii, quæ fuerat in feria, in qua occurrebat festum *Annunciationis beatæ Mariæ virginis*, idem Wilbrandus Episcopus Mindensis se ad ordinem presbyteratus promoveri fecit, hora consueta, in castro *Petershagen* per eundem Dominum Hinricum *Yponenensem*. Anno eodem & Indictione, quibus supra, die vero ultima mensis Martii, die prima mensis Aprilis Dominus Wilbrandus Episcopus Mindensis consecrari se fecit in Episcopum in monasterio sancti *Benedicti* prope *Mindam*. Quia civitas Mindensis fuerat interdicta per dominum *Johannem Reseler*, à venerabilibus in Christo patribus *Domino Henrico Yponenensi*, *Johanne Episcopo Naturensi* & *Helmaro de Zalder Episcopo Hortonsensi* in dominica palmarum. Anno M CCCC VIII. fuit de harde Winter. Anno M CCCC IX. XXVI die mensis Maji, quæ fuerat festum corporis Christi, tunc præsidebat Dominus *Wulbrandus* tam ad vespertas, quam ad matutinas & cantavit suam primam missam in ecclesia Mindensi. Anno domini M CCCC VIII. in inventione Sancti *Stephani* fuit Mindæ maximus tremor & terror & iste causabatur ex illo, quod scriptum stat hic supra, quamvis hic aliter narratur. Nam veraciter dicebatur, quod ille *Albertus Albrand* habuit una vice, quam plures uth den *ammethen*, & voluit interficere istum *Hermannum Swarten*, & iste fuit avifatus de isto cumulo. Tunc magis crescebant inimicitia inter eos & invidia, ita quod *Albertus* proconsul cum suis consilibus in hac parte complicibus, expulerunt *Ricmannum de Bucken*, *Hermannum Swarten* & fratrem suum *Hinricum Clarum*, *Fredericum Tigvogel*, *Reynoldum de Lerbeke* & Dominum *Hermannum Hofanck*, scriptorem civitatis Mindensis cum adiuvamine communitatis civitatis: Et istud fuit tempore *Otonis de Reibberge* anno ultimo; & pro eo fuerunt expulsi, quod noluerunt consentire in depositionem dictorum de *Vertegeften*, qui fuerunt inter consules & communitatem Mindensem & illos, qui manserunt in civitate amici istorum expulsoꝝ maxime rebus & pecuniis extorserunt. Nam iste *Steyneke Senior* exposuit duo millia florenorum: item *Tileke up der Beke* exposuit tertium taxam; & multi alii maximis opprobriis & iniuriis oppresserunt. Tunc eos deponentes de consulari & de statu eorum, iuraverunt nunquam eos venire ad statum pristinum. Expulsi similiter iuraverunt, nunquam & in æternum debere eos ad civitatem Mindensem introire; & loco istorum dictorum *Vertegeften* ordinarunt & constituerunt XXXVIII. personas, quas vulgariter *Bystenders*



nominauerunt. Et nota, quod isti expulsi non una hora exierunt civitatem; Sed aliqui manserunt ad tempus in civitate. Nam ille Friderick Tigvogel solebat de vespere ire ad privetum apud stubam, & explorare ab istis, qui ibi conveniebant; quia fuit homo satis agilis: & de xmulis venit unus & accepit duo vel tria de istis postis, æstimans quod ibi debuisset incidere: sicut eadem hora contingebat Frederico Beten canonico Ecclesiæ Mindensis; quia incidebat foveam in mala hora. Nam ex isto frigore fuit percussus lepra. Tunc ille Tigvogel videns tantam insaniam, accepit duos flasculos ac si vellet ire ad campum, & statim postquam exivit valvam, projecit flasculos ac arripuit iter versus Lubbeke: & isti expulsi habuerunt mansionem in comitatu Ravenbergenfi & isti Ravesbergenfes veniebant hostiliter ad campum sancti Symeonis, & cum istis recedebat Ricmarus de Bucken. Nam in toto campo sancti Symeonis non segebantur segetes, sed torus campus fuit *dresch* usque ad portam sancti Simeonis. Isti sic expulsi intenderunt causam iniuriarum contra civitatem Mindensem pro se & amicorum, suorum iniuriatorum coram *Roberto rege Romanorum* in curia sua Heydensberge, & iste dominus Hermannus Dume miles nitebatur civitatem Mindensem defendere, & isti expulsi vicerunt, causam iudicialiter. Unde consulates & communitas Mindensis sunt illis condempnati pro iniuria, dampnis & expensis passis in centum & LX. marcas puri auri. Nota una marca est LXXX IIII. floreni Rhenenses. Propter hoc proscripti per bannum dicti regis, & executio commissæ fuerat Reverendo in Christo patri ac Domino, *D. Wilhelmo* tunc temporis *Episcopo Padobornensi*, qui fuerat filius sororis reginæ dicti Roberti. Tunc tandem intromittebat se dominus Wilbrandus Episcopus Mindensis & nitebatur componere, & discordias inter cives suos auferre: sic quod isti expulsi ponebant ius suum ad manus suas; similiter & civitas. Sed iste Albertus Albrant timebat, quod isti expulsi venirent ad civitatem Mindensem, quod ipse & sui haberent malum exitum, & statim recepit literas ab Episcopo, & arbitravit communitati civitatis, si aliqua dampna paterentur de ista causa, ipse & sui vellent civitatem tenere indempnem. Hoc promiserunt literis patentibus; & sic dicunt, quod civitas Mindensis ex ista causa sit perpeffa ultra XX. millia florenorum: Et Wilbrandus permisit istos expulsos ire & equitare, quo volunt. Tunc isti fratres de Gevekoten electi ad regimen & ad consulum, & ista guerra stabat ultra duos annos, quod isti expulsi fuerunt capitales inimici. Anno domini M CCCC VII. II. die mensis martii, hora quasi nona, Albertus Albrand proconsul, Ernestus Bodendorp, Johan & Conradus dicti Gerfen fratres, Johan Holloge, Johan Costede consules cum complicibus suis Hinrico Proyt, Johanne Brunink, & cum suis complicibus, dictis bystenders, honestam dominam Greteken, uxorem legitimam Ricmari de Bucken fragentes ianuas domus dictæ dominæ, & cum tumultu & impetu intrantes, & manus in eam injicientes & eam de domo propria sua trahentes, eam super curum pedes suo non suis de meritis ligarunt: & duo familiares consulis, Bertoldus & Johan Hilligeborch ab utraque parte brachia sua tenentes, extra civitatem Mindensem vehebant, & miserabiliter suis bonis hæreditariis privabant. Quæ quidem cum magno clamore, tam in domo, quam per viam clamans sed minime proficiens. Ea sic expulsa, in continenti & cum tumultu veniunt ad curiam quandam Lodewici de Czernæ, in emunitate ecclesiæ Mindensis constitutam, in qua habitabat Ghesêke uxor Hermanni Bucken, etiam domina valde honesta, ad eam dicentes, ut exiret emunitatem ecclesiæ ac civitatem Mindensem. Quæ respondente: Nolo facere voluntarie, nisi per violentiam & per vim extrahar: Non tamen ea vice & quicquam facientes, sed eam tunc temporis quiete & pacifice permittentes. Sed inde & in continenti dicti consules & bystenders venerunt ad domum cuiusdam viduæ dictæ Beatæ relicte quondam Wedekindi magistri Swarten, qui fuerat filius dictæ Beatæ, cum qua habitabat Ghesêke uxor Hermanni Swarten, cuius extremæ domus tendebat se ad emunitatem ecclesiæ, in qua dicta Geseke stabat; ad quam uno ore & tumultuosè dixerunt; Geseke exeatis emunitatem & civitatem Mindensem. Quæ viriliter respondit; Ego sum hic, si quis vestrum intendit in me manum suam violenter, faciat, alias non exibo. Etenim si quis sine peccato sit, mittat in me manum suam, quoniam ego bona sum. Similiter ea vice ei nihil fecerunt; Sed indicentes viduæ per pœnam & dignationem civitatis, ut dimitteret eam & ammodo eam non hospicaret, abscesserunt recedentes. Inde Geseke exivit dictam domum & visitavit inhabitatricem curiæ dicti domini Lodewici. Audiens famam Metteke, uxor satis proba Hinrici Claren, etiam visitavit eandem curiam; & sic honestæ tres dominæ in una tribulatione fuerunt comprehensæ. Deinde dicti proconsul & consules suis civibus indicebant sub indignatione palam & publice, ne aliquis dictas honestas dominas cibaret, neque dando, neque vendendo, neque humanitatis solatio consolando, & sic nichil habuerunt, nisi quod per dominos canonicos eis mitteretur. Deinde septima die mensis martii hora prima, dictus proconsul Albert Albrant cum consulum & dictis Bystenders cum tumultu euntes ad dictam curiam Lodewici, in emunitate constitutam, ut dicitur, per vim & per violentiam sine consensu Electi domini Wilbrandi ac capituli Mindensis eis minime requisitis sed spretis, dictas tres honestas dominas, miserabiliter clamantes vulgariter *to Jodute*, omnibus circumstantibus, tam dominis de capitulo, quam vicariis ac aliis personis videntibus & audientibus, extra emunitatem & civitatem Mindensem eas eicientes, & manibus violenter iniectis (Nam ille Schereman fecit,



eis multas iniurias) unam per portam & per pontem Wyseræ extrahentes. Tunc statim Dominus Wilbrandus Episcopus Mindensis interdixit civitatem & Ecclesias Mindenses propter violationem emunitatis, sic quod posuit strictissimum interdictum. Nam anno domini M. CCCC. quo supra, indictione XV. die XV mensis maji, quæ fuerat festum Pentecostes Ecclesia Mindensis propter interdictum in civitate, propter fractionem curiarum canonicalium in emunitate, exinde divina non habuerunt, cui canonici sancti Iohannis se conformaverunt. Sed canonici sancti Martini & ecclesiæ parochiales, videlicet sanctæ Mariæ, sancti Simeonis & fratres Prædicatorum habuerunt divina, excommunicationem minime curantes. Unde dominus Wilbrandus fratribus Prædicatoribus XII. modios & unum plaustrum filiginis violenter spoliavit, sed postmodum eis satisfacit. Sic stantibus, spoliaverunt istos expulsos omnibus bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, & expulsi dederunt magna dampna in spoliis & in occidendo homines. Nam Hinricus Schereman fuit propterea suspensus uppe der schildescher Heyde. Mercatoribus fuerunt bona spoliata pro eo, quod fuerunt proscripti per imperatorem, id est *vorfemet*. Carnifices & agriculatores non audebant portam exire. Nam isti expulsi fuerunt, quando eis placebat in castro Montis Wedegonis. Tunc sic stantibus, & civitas undique in periculo jacens, communitas & de ammethe adierunt consulatum petentes, sicut eis promissum fuerat ab Alberto Albrande, quod deberet esse sine dampno civitatis, quod ipse & sui complices deberent eis restituere ista dampna, quas civitas passa esset. Tunc communitas accedens & accepit istum Albertum cum tribus filiis suis, de quibus supra facta est mentio. Qui obsiderunt ecclesiam maiorem, videlicet Iohannem Primogenitum, Albrandum & Albertum, dicti Alberti filii, & alii de consulatu, Arnoldum Ywen, Hinrick Kemenaden, *Schyd in de Lyren*, Proythe Clönich, & alii plures, & trucidaverunt istos ad istud cellarium, in quo modo Hillebolt freneticus sedit: Et miserunt eos in lignum, id est in cippum, sed ille Cord Gersse fuit homo simplex nihil faciens, nisi quod ad instinctum aliorum fecit: propterea non fuit incarceratus cum aliis. Unde illis sic sedentibus in cippo, tunc communitas fecit, sicut factum fuit in *Luneborch* circa annum Domini M CCCC LV vel IIII-ubi expulsus fuerat totus consulatus, & electus unus novus consulatus, & habens regimen per aliquot dies; Sed tandem communitas refutavit istum novum consulatum, & reintroduxit antiquum, ignorantibus novo consulatu, antequam fuerunt in civitate. Sic simili modo factum est in Minda. Nam miserunt communitas & ammethe pro istis expulsis, videlicet ad Ricmarum de Bucken & ad alios, videlicet ad Fredericum Tygvoegel. Et nota: ille conburebat molendinum Pryggenhagen & cum hoc, captivum duxit Molendinarium versus *Eilefelde*: et sic introduxerunt istos expulsos ad civitatem, & recuperaverunt quilibet statum & honorem suum, ac bona sua, non obstante juramento, quod iuraverunt consulatus, quod nunquam deberent redire neque ad statum neque civitatem Mindensem. Et sic istis sedentibus in carceribus, procurabant, quod veniebat unus monachus de Lucka, qui dicebatur Rederen, qui faciebat contractum inter istos expulsos & communitatem civitatis & inter Albertum & filios suos. Et dederunt literas & sigilla, quod vellent se habere amicabiliter de istis dampnis superius expressis. Et cum hoc fecerunt juramentum, quod illas iniurias nunquam deberent vindicare contra consulatum neque contra singulares personas, neque appropinquari civitati ad tale spatium. Et sic in vim istius iuramenti liberati sunt. Quibus dimissis, tunc dispersi sunt, sicut alii ante fuerunt. Tunc ille Albertus venit cum suis ad *Ericum comitem de Hoya*, qui fovebat illum cum filiis suis. Tunc ille Johan filius Alberti sæpe dicti iter arripens versus Romanam curiam obtinuit absolutionem de istis juramentis præstitis, sicut superius est notatum. Et forte processus per Imperatorem fulminantem cessationem impetravit ibidem: Et cum istis processibus veniebat ad partes. Tunc *Ericus Comes de Hoya*, qui nunquam fuit bonus petrus, nec ipse, nec sui antecessores, dedit prædicto Alberto & suis filiis castrum Sydenborch: & exinde Albrant filius ipsius Alberti exercebat inimicitias contra civitatem. Nam una vice rapiebat porcos de campo extra portam beatæ virginis: et sic isti fratres fuerunt capitales inimici civitatis Mindensis. Sic quando communitas patiebatur dampna, statim vertit se ad aliam partem. Anno domini M CCCC X. feria quinta post Mauricii, civitas Mindensis se composuerunt cum dictis Albrandis & Gerssen, & sic Johann Gersse reversus est Mindæ: Et dicto Alberto restituta sunt bona eorum mobilia & immobilia. Anno domini M CCCC X. prima die mensis Octobris Albertus Allebrant & filii sui reversi sunt Mindæ iuramentis, confederatione & proscriptione & banno Imperiali non obstantibus quibuscunque. Et sic sopitz sunt istæ inimicitie inter de Bucken, Swarten, Albrande & Gersen. Nam isti Gersen fuerunt homines simplices: sed invidia exarsit usque in hodiernum diem: Et vulgus dicit adhuc, quod habeat ista dampna cum istis de Letelen, & ista sufficiant. Anno domini M CCCC X. ipso die Lucæ Evangelistæ, advocati castri Montis spoliaverunt unam viduam una vacca, quæ sequebatur, nil plus habens, quam illam unam vaccam; & habuit quatuor pueros, lamentabiliter clamans & lacrimose dicens: O si privatis me ista vaccâ, potius possedis me interficere gladio, quia non habeo, unde nutriam pueros: Et sequens eis, lamentabiliter rogans & flens. Qui nequam suppeditaverunt illam pauperulam, eamque



gladio vulneraverunt, & illam vaccam mactaverunt. Facta & acta sub Wylbrando. Anno M CCCC X. III die mensis Augusti Cord Bokel cum suis complicitibus hora quasi complectorii vulneravit Werneken Toyfen civem Mindensem super pontem Wyseræ prope Minden. Unde omnes cives concurrentes dictum Conradum cum suis complicitibus captivaverunt, eosque ad carceres posuerunt. Altera vero die Dominus Episcopus Mindensis equitans, convocatis capitulo & consulis ibidem, rogans & petens, ut sibi redderent & quitarent advocatum & servos suos: inter cætera illis respondentes hæc verba: Nos assignamus eis terminum iuridicum usque ad feriam sextam, quæ fuerat nona dies mensis prædicti, ubi potestis venire, & mittere, si vultis eos in iure defendere, si potestis &c: Veniente vero octava die mensis Gerhardus de Hagen & frater suus Hermannus cum eorum complicitibus, tunc temporis castellani castri Montis, equitantes ad pontem Wyseræ, unum piscatorem mutilaverunt, & unum morti interimerunt & tres captivaverunt de civibus Mindensibus & civitas Mindensis dictos captivos libere resignaverunt. Post dictus Gerhardus de Hagen captivavit duos cives in despectum Mindensis civitatis. Anno Domini M CCCC X. mense Septembri Dominus Episcopus convocavit capitulum Mindense ad castrum Montis, notificans eum inisse confederationem cum multis Episcopis, videlicet Archiepiscopo suisque suffraganeis *Bremensi, Halberstadeni, Magdeburgensi, Hildensemensi*: ita quod ipsi & eorum prælati eorum beneficia vellem conferre, non obstantibus quibuscunque gratiis; & eisdem nolentes consentire de reservatione sedis Apostolicæ, rogans & petens, & cum hoc monens dicta capitula, ut sibi ad hoc adherere & consentire vellent, ut ne aliquod disturbium inter eum & capitula surgeret, quia ipse vellet dictis Episcopis interesse. Quæ capitula petierunt inducias, deliberando super hoc, usque ad quartam feriam dicti mensis. Qua adveniente, omnes capituli capitulariter congregati de eisdem tractantes, Dominus Conradus Thuf utriusque iuris doctor tunc decanus maioris ecclesiæ, & Rodolphus Archidiaconus in Osen, & Hermannus Mese Scolasticus & Officialis dicti domini Mindensis concordaverunt in hoc, se velle in hoc conformare dicto Episcopo, ceterique capitulares uno ore & concorditer in hoc nolle consentire, nisi de consilio Archiepiscopi Coloniensis eorum metropolitani, & aliarum ecclesiarum in eadem provincia constitutarum. Et illam finalem conclusionem Domino Episcopo scripserunt. Anno domini M CCCC X, quarta die mensis Septembris combusta est tota platea in Petershagen per *Conradum de Mandelslo* furtive ac integre usque ad castrum se extendens ad flumen *Prospe* nuncupatum, hora quasi nona. Anno domini M CCCC X circa festum Andreæ Apostoli Magister Johannes Overkerken tunc Officialis Episcopi citavit dominum Hermannum Schosker canonicum dictæ ecclesiæ Mindensis; qui quidem hic appellavit ad sanctam sedem Apostolicam, & XXIII die mensis Septembris dicto anno petiit à capitulo & clero civitatis Mindensis adhesionem, in se continentem, quod Episcopus nullam deberet habere iurisdictionem in canonicos; qui breviter adhesionem negaverunt. Et sic idem Hermannus dedit se ad iudicium Episcopi petens se absolvi, se offerens stare coram officialibus, qui dixerunt, se velle deliberare usque ad XX diem mensis decembris. Anno M CCCC XI. die vero XXI mensis Martii, quæ fuerat festum petri ad cathedram, Dominus Episcopus advocatum *Johannem de Alben* minorem, plebanum in Landesberge presbyterum, & Nicolaum fabri clericum & canonicum in Mandelslo venientes ad castrum Petershagen ipsos captivari mandat, ligatisque manibus & pedibus cathenis vinctis per suos satellites in nocte dicti festi ad castrum Montis duci fecit, mandavitque ibi suis advocatis, dictos vinctos custodire. Anno Domini M CCCC XI. XIX mensis Martii Wilbrandus Episcopus alienavit castrum Petershagen ab ecclesia Mindensi & tradidit in manibus *Bernhardi ducis Brunsvicensis*, contra statuta iurata per eum dictæ ecclesiæ, contra voluntatem & contradictionem capituli ac scitum vasallorum & consulum civitatis Mindensis fingens rationes eum moventes videlicet, quod Dominus *Hildensemensis Episcopus & dux Luneburgensis & Ericus comes de Hoya* vellent obsidere castrum *Petershagen & castrum Roden*. Sed in veritate nichil existente, ut exitus rerum probavit, dicto opido Petershagen dicto duce Brunsvicensi *buldam* faciente, tanquam vero suo domino. Qui Wilbrandus aufugit ad castrum Montis anno eodem, XIII die mensis aprilis in profesto Tyburcii. *Didericus de Monichusen* miles alienavit castrum *Reyneberch* ab ecclesia Mindensi & tradidit nobili domicello *Nicolao de Teckneborch*; & idem Didericus alienavit ab ecclesia Mindensi castrum *Boklo* & tradidit nobili *Ottoni de Schowenborch*. Anno domini M CCCC XII. mense martii placita facta sunt inter Wilbrandum Episcopum Mindensem & consules dicti civitatis à dominis *Henrico & Bernardo duce Brunsvicensi, Ottone Episcopo Hildensemensi & Erico comite de Hoya*, ita quod Episcopus Mindensis necessitate coactus, tenebatur respondere & satisfacere omnibus quarimoniis civitatis Mindensis, & hoc in campo apud villam *Ovenstede*. Anno eodem feria secunda post ascensionem Domini obsessum est castrum *Reyneberch* per Episcopum Mindensem primo & principaliter per *Rembertum de Qvernheym*. Nam civitas Mindensis ex causa supra dicta non multum favebat Episcopo. Item opidum *Lubbeke* timebat se intromittere. Sic Episcopus iacebat ibi sine aliquo adiutorio suarum civitatum. Nam iste *Comes de Teckneborch* fuit istius intentionis, quod volebat *entfesten* prædictum castrum. Sed fuit



fuit averfus per iftum Alhardum de Busche. Sic Epifcopus concordavit cum fuis civitati-  
bus, ut Epifcopo adiuvent, & fic obfederunt cum Epifcopo. Sic feria VI ante pentheco-  
ften exivit *Reyneke Tribbe pater meus* (\*) circa noctem cum armis fuis & ibat ad follata caſtri,  
& allocutus eſt eis, qui erant in caſtro; Nam habuit aliquos conſanguineos ibidem. Se-  
dentibus ad ignem media noctis percuffus eſt cum parva una bombardā: & fic ultima verba  
fua fuerunt: Adiuva me virgo Maria. Et fic ſpiritum emiſit: Cuius anima requieſcat in  
pace, Amen. Et fic obſeſſum fuit & cum bombardā *de grote metteke* multotiens fuerunt ia-  
ctatz lapides. Nam ille Pluſterman informavit Epifcopum, ubi caſtrum fuit infirmus. Et  
in iſta parte aggreſſus eſt Epifcopus. Nam ſumpſerunt urnam de fonte, & fic obſeſſa fuit  
uſque ad ſabbatum poſt feſtum corporis Chriſti: ubi Wilbrandus Epifcopus Mindenſis po-  
tenter vicit prædictum caſtrum cum vaſallis in Lubbeke & civibus Mindenſibus. Nam iſti,  
qui fuerunt in caſtro, fuerunt parvi valoris; & fic caſtrum Reyneberch de manibus domi-  
celli de Teckneborch, cui impignoratum fuit per Didericum dictum militem de Monichu-  
ſen pro DCC florenis renenſibus, eſt liberatum. Anno eodem, die XII menſis Octobris  
in profeſto calixti papæ *Bernhardus dux Brunſuicenſis* reſtituit caſtrum Petershagen dicto Wil-  
brando. Annū MCCCC....XIII die menſis auguſti vaſalli & communitas opidi in Lub-  
beke vicerunt bellum cum *Albardo de Buſche*, & vicerunt *Comitem de Teckneborch*, & ipſe au-  
fugit, & ceperunt vexillum ſuum, quod pendet in eccleſia Lubbeke, & ceperunt in tan-  
tum, quod dederunt duo milia & CC florenos Renenſes de quolibet vaſallorum: & com-  
munitas dicti opidi dederunt dicto Wilbrando ſexcentos florenos, cum quibus redemit cu-  
riam Epifcopalem cum ſuis attinentiis in eodem opido conſtitutam, de manibus Diderici  
pladdiſen, cui impognarata fuerat, qui fuerat ibimet captus. Anno X fuerat controverſia  
orta inter Epifcopum & communitatem de ſilva, quæ dicitur *Norbolt*. Nam iſte Henricus  
Fyne & decanus Meſe inſtigaverunt prædictum Wilbrandum, quod iſta ſilva deberet per-  
tinere ad menſam Epifcopalem; civitas e contra, quod non, ſed *ere heyneholt*. Et fic con-  
tendebant invicem & Epifcopus non valebat aliquid intendere contra civitatem manifeſte,  
Nam iſti Holtwarten in civitate pignorabant in prædicta ſilva, inter quos fuit unus inſignis,  
qui dicebatur Henneke Vedeler. Item in compensam haberet Epifcopus ſilvam Hyddeſcher-  
holt. Ille Henneke Vedeler nuper de anno domini M CCCC LIX ibat mendicare hoſtiam  
de domo ad domum. Hic erat, qui ducebat dat werck in den graven: Et fic Epifcopus  
cogitabat, quod poſſet ſubiugare civitatem, & caſtigare; adiit *ducem Hinricum Luneborgenſem*,  
ut ſibi provideret de remedio oportuno, quia per ſe non potuit. Anno domini MCCCC XVI.  
Idem Hinricus dux Luneborgenſis exercitum copioſum, videlicet XIII C. equites & inten-  
debat deprædare civitatem in pecudibus & hominibus per totum campum undique. Tunc  
feria ſecunda, quando feria tertia venire tenebatur, alloquuntur Hermannum Broken, quod  
vellet eorum eſſe ductor verſus Mindam, vellet ſibi bene pretiare, quibus dicebat; quod  
non eſſet ſibi hoc faciendum qui inde eſſet oriundus, & ſpecialis civitatis Mindenſis.  
Sic, quando nox incipiebat, aufugit ab eis & equitabat per totam noctem. Mane factō  
quaſitus eſt Broke, ſed minime inventus. Sic de mane veniebat ad civitatem una hora  
ante eos, & quando veniebat ad civitatem tunc ex nimio labore equus, in quo ſedebat,  
exſpiravit ante rubeam valvam. Tunc exponebat eis negotium, quod non exirent portam,  
quia eſſet intentio eorum, quod vellet eos capere. Vix ſermonem finierat, veniebat  
cum toto exercitu, & ſumpſerunt pene omnia pecora tam in vaccis quam in porcis, præter  
bubulcum, qui fugiebat verſus Halen. Nam veniebat per vadum apud Letelen & rapie-  
bant in campo beate virginis, & Codar, & de Inſula Rodenbeke. Nam ubi aliqua vacca  
latuiſſent, mulieres currentes ibi manifeſtaverunt, ſicut multoties ſolent; ſic rapis fere omni-  
bus pecudibus iter ceperunt verſus *Vornbagen*, & ad caſtrum *Petersbagen* & iter ulterius ſu-  
mentes verſus *Lucken*. Et iſte conflictus fuit feria tertia poſt octavas dedicationis Prædica-  
torum. Tunc civitas miſit literas ad omnes civitates Saxonie, conquerentes, qualiter iſti  
illuſtriſſimi principes iniuſte fecerunt eis, & poſtea miſerunt literas diffidatorias omnibus  
ducibus & acceperunt undique Soldeners. Nam pene omnes vaſalli de comitatu Ravens-  
bergenſi videlicet Hinricus Ledebur, Alherd de Buſche, Johan de Enychlo & omnes mili-  
tares de Lubbeke: Sic quod dederunt eis magna dampna. Nam in omni ſeptimana cum  
VI C. equitibus viſitaverunt territorium eorum, & veniebat per Comeciam de Hoya. Sed  
tandem pacificati ſunt, & fic iſto Broken conſulatus, & Vertegen in anniverſario ſuo faci-  
unt ſolempniter ſolempnes exequias, omni anno, circa dedicationem Prædicatorum ibidem.  
Anno domini M CCCC XIII vel XV acquiſivit caſtrum *Roden* Wilbrandus Epifcopus. Hi-  
ſtoria narratur fic: Nam fuit ibidem plebanus Borchardus Haverbeke, oriundus ex dominio  
*domicelli de Depholte*. Hic accuſatus fuerat coram Johanne Bucke Caſtellano in Roden de  
aliquo

(\*) In Margine veteri manu hic adſcriptum erat: *Iſte Reyneke fuit pater Domini Hinrici Tribbe, Canonici Ec-  
cleſie & ſic patet hic, quod idem Hinricus complevit Coronicam poſt mortem Fratris Hermann de Lebbeke;  
& nota, quod fuit partialis contra illos de Lebbelen, & minus bene ſcripſit contra eosdem: ſed idem Hin-  
ricus intulit magna dampna Eccleſie Mindenſi & Epifcopatui per lites & quarras, de quo nihil ſcribit.*



aliquo facto. Nam dicebatur, quod prædictus plebanus habuit unam stolam de ecclesia, quam tempore nativitatis habuit ad visitandum domos cum aqua benedicta sicut tunc moris est; Quo peracto dicebatur, quod iste cum stola ligabat unam vaccam seu vitulum ad præsepe: & ille rumor veniebat ad prædictum Iohannem Buck, qui volebat punire prædictum pastorem. Ille negabat. Ille voluit probare per prædictum campanarium. Tunc plebanus & campanarius erant compositi in amicitia, sic quod campanarius negabat istud negotium. Tunc prædictus Castellanus iratus percutiebat campanario unam vaccam, & deposuit eum ab officio. Tunc ille Opperman adiit dominum Wilbrandum cum querimoniis, qualiter esset depositus ab officio sine culpa. Tunc scripsit Wilbrandus prædicto castellano, quod tale negotium expectaret ad examen suum. Tunc ille Buck erat superbus homo & proprii capitis, accepta litera Episcopi, percutiebat prædicto campanario unam vel duas [plagas], & Wilbrandus ipse sic primo veniebat ad discordiam. Tunc ille Brathorst fuit avunculus istius campanarii, qui dicebat aliqua verba pro campanario, qui etiam patiebatur dampna in bonis suis: qui aufugit ad Episcopum. Similiter moriebatur ibidem dictus Dusvich, cui etiam voluit exactione bona sua, qui etiam recedebat de prædicto castro, & fuit capitalis inimicus ipsius Johannis. Et sic stantibus Episcopus scripsit multoties, quod restitueret dampna servis suis; Et ille Johannes fuit avifatus ab aliquibus, quod Episcopus vellet eum, quando haberet competens tempus, corrigere. Tunc ille timens Episcopum, sciens eum austerum hominem, secessit ad castrum *Palstercampe*, & commisit servis suis *Roden* inhibens eisdem, quod nullo modo sine custodia haberent castrum. Et Episcopus habuit consilia cum istis profugis, quomodo posset recuperare Roden. Tunc ille Brathorst spondit, quod vellet sibi acquirere prædictum castrum sine labore & sine turba, si haberet unum fidelem, qui sciret natate. Tunc Episcopus dixit, quod Plusterman sciret optime artem istam. Quo facto Episcopus promisit sibi pecuniam daturum. Tunc ille Brathorst assumptis secum, quibus voluit (Nam fuit ante messem) jacebant in frumentis prope castrum, & ibant de nocte apud castrum, & habebant unum foramen; quia ille Brathorst & Dusvich fuerunt ibi noti. Tunc precedente die misit unum festinanter ad sepeditum Johann: cum literis diffidatorum & sequenti mane, quo fuit vigilia Jacobi Apostoli parum ante prandium incenderunt unam casam ante castrum. Tunc isti in castro æstimates quod inimici ipsius Johannis essent: nam habuit speciales inimicos non curans de Episcopo: Sic omnes exierunt usque *to dem hagedorne*, non habentes timorem de castro. Tunc illi Plusterman, qui de nocte intraverat per fossam, latitabat sub ponte statim viso, quod omnes exierunt castrum, nisi unus, vel duo antiqui in castro, surrexit de custodia & capto ponte statim clausit castrum. Sic alii venerunt per istud foramen, & sic excluderunt illos, qui exierunt de castro & sic recuperatum est Roden sine dampno, & omnia quæ ipsius Johannis fuerunt, manserunt ibi privilegia, prompta pecunia &c. Anno sequenti circa festum Michaelis veniebat sepe dictus armata manu volens prædare forte apud *Lubbeke* villas: Et Wilbrandus veniebat cum præda de diocesi Osnaburgensi & nullus sciebat de altero: Et sic unus veniebat circa alium in loco, qui dicitur *Haselholt*: Et isti cum Johanne Bucke erant in duplo fortiores, quam Wilbrandus cum suis: nam antea quando Saxones sedebant in cerevisio, solebant subfannare cives in opido, quod non haberent arma, sed quilibet *eyne witte wenneken unde vynn langen petk*. Sic simul venientibus hostibus, istis, qui cum Johanne erant, non fuerat cura, nisi ubi possent acquirere tot fanes, ut istos Lubbicenses & rusticos secum ducerent; & hoc dixerunt pompose & subfannative. Episcopus alloquitur suos, ut sint constantes & animoso corde: Deo dante & beato Petro ipsi velint vincere & triumphare. Quo facto ipse assumpta lancea prior aggreditur hostes. Quo viso, Saxones verterunt dorsa, & inierunt fugam: Et Lubbicenses & alii rustici de villis videntes animositatem Wilbrandi steterunt usque ad effusionem sanguinis coram Domino suo. Quod videntes aliqui, qui cum prædicto Johanne erant, fugam arripiunt & præcipue rustici; nam eis primitus accidebat triumphus; Nam Wilbrandus fuerat prostratus, quem omnes habebant odiosum. Nam fuit ibi privatus oculo, & acriter vulneratus. Tunc cives Lubbicenses pugnantes & rustici de villis apud *Lubbeke*, viriliter astiterunt, & vicerunt bellum. Sic tandem captus est Johannes Buck & sui: Nam Johannes de Varendorpe præpositus Ecclesiæ sancti Johannis Osnaburgensis captus est cum suis; & Wilhelm de Wolde & Rodolphus de Horst postea canonicus Ecclesiæ Mindensis. Occisus est ibidem unus Smyfinch, qui si vixisset, pro redemptione sua dedisset ad mille florenos: Item occisus est ibidem Albert Budde & unus de Slon, pater Ernesti de Slon, alias des Gelen: & ille Buck ductus est ad castrum Reyneberch in curru. Nam fuerat vulneratus & Dideryk Pladise fuit denuo captus, & Johannes Buck pro redemptione sua dedit ultra duo millia florenorum: Similiter Dominus de Varendorpe dedit ultra duo millia florenorum: Et Wilbrandus habuit coquinam suam in domo Johannis Benekinck, & sic accepta pecunia de captivis, venerunt ad pacem, & captum est castrum *Roden* in vigilia Jacobi Apostoli Anno M CCCC XIII. de mense martii Wilbrandus cepit sex Juvenes, quilibet circa annum nonum vel decimum existens, eosque in captivitatem duxit, & laqueo suspendit. Nam fuerunt de *Wildeshusen*; ubi hospitabatur *Corde de Mandeslo*, qui dicebatur *de Ryddere Cord*, & iste fuit prope *vorfemet*, & iste antea incendebat opidum Petershagen; & sic iste aufugit, & tunc isti pueri capti sunt & in



in contumeliam ipsius suspenſi. Anno M CCCC XX circa menſem Julium factum eſt enorme crimen in dioceſi Mindenſi, quod ultra decem millia florenorum ad dampna venerunt in præſenti territorio. Nam veniebat unus de Romana curia nomine Johan Vreſe, cum literis Apoſtolicis, & acceptavit Eccleſiam in Ydenhuſen, ad quam ius, & Wilbrandus conferebat eandem eccleſiam uno Ribaldo, qui fuit ſcriptor ſuus, & iſte Vreſe fuit oriundus de opido Nigenborch & habuit hic conſanguineos in civitate, videlicet Meynen: & ſic tardabat in civitate exſpectans adventum plebani in Nigenborch, qui fuit tunc temporis pro indulgentiis Aquisgrani; Qui plebanus debuit concordare Wilbrando & Vreſen. Sic prædictus Vreſe morabatur hic in civitate, non habens timorem; Et ſic de die ſolebat ire ad avunculum ſuum Meynen ad monaſterium in Inſula, unde ille ſcriptor habuit cuſtodiam ſuam in domo Steyneken. Qui videntes eum ire per pontem, exeunte eo de porta, ſtatim captus eſt & violenter ductus ad caſtrum Montis, ibique carceribus emancipatus, & fractis cruribus enormiter læſus: & tandem procurato per eundem ſcriptorem directæ literæ, quod debeat ſuffocari in aqua, per Ottonem filium Wilbrandi miſſus eſt per ſaccum ad Wiſeram: & laboravit in aqua, ſic quod veniebat ad litus; quo aperto percutiebant eum cum lignis, quod emiſit ſpiritum ſuum ſine culpa ſua. Quo factò miſerunt eum denuo ad Wyſeram & ſic inventus per piſcatores de aqua diſtrictus, ad eccleſiam majorem baiulatus; & ſaccus ſuſpenſus eſt in Eccleſia, ubi per aliquot dies pende-  
 bat: Et funus ſolempniter eſt ſepultum up den Cloſterhoff: & dicebatur, quod fuiſſet factum ignorantem Wilbrando. Et ſic ſciantibus, rumor facti ad curiam Romanam perveniebat; & ille dominus ſuus, qui fuit unus abbreviator apud Papam, ſollicitavit, quod Epicoſopus deberet privati. Tunc papa indicebat Wilbrando purgationem canonicam: Et hoc negotium fuit commiſſum Domino Ottoni de Hoya Epicoſopo Monaſterienſi. Sic Wilbrandus metu coactus non potuit ſe expurgare cum ſex Epicoſopis. Sic ille Epicoſopus Monaſterienſis fuit homo induſtrioſus, practicavit, ut adoptaret filium fratris ſui Albertum in ſucceſſorem ſuum, tunc omnes vellent ſibi aſſiſtentiam facere, & ſic factum eſt, ut aſſumeret Albertum filium Erici in adiutorem. Quo factò videns Wilbrandus, quod nichil contra eum fiebat in Romana curia, penituit ſibi de adoptione Alberti, volens eum recuſare & ejicere. Et Ericus & Wilbrandus facti ſunt capitales inimici: nam *Duces de Luneborch & Brunſwich* fuerunt adiutores Wilbrandi. Sic vivebatur in invicem, quod talia pecora capiebantur de Hoya, quod una capra ſeu ovis emebatur pro quatuor albis, & una vacca pro VI ſolidis, & unus equus pro marca. Tunc tandem amici ex utraque parte fecerunt pactum in mala hora, ſic quod Ericus deberet dare Wilbrando VII mille florenos, unde Wilbrandus poſſet perſolvere debita ſua, & in recompenſam deberet habere Albertus duo caſtra videlicet Reyneberch & Roden, quam diu viveret Wilbrandus. Quo mortuo, ſi fieret electus in Epicoſopum tunc iſta ſumma deberet etiam mortua eſſe. Sin autem non contingeret eum eligi in Epicoſopum tunc deberet ſibi reſtitui pecunia. Anno M CCCC XI. Indictione XIII menſe ſeptembri die XXVIII Wilbrandus ex ſuggeſtione quorundam, videlicet Meſen & Johann Kerckhof, qui fuit unus peſſimus truphator, voluit viſitare ſeu officium viſitationis exercere, de qua viſitatione Eccleſia Mindenſis veniebat ad dampna ultra mille florenos. Et ſequitur tenor proceſſus in hunc modum: *Nos Wilbrandus dei gratia Epicoſopus Mindenſis ad futuram rei memoriam. Cum proch dolor! noſtra Mindenſis Eccleſia quam graviffime & atrociffime, ob diverſa & quam plura crimina præſertim capitalia, ut puta contra naturam, homicidium, crimen læſæ maiestatis, crimen falſi, ſacrilegium, conſpirationem, falſum teſtimonium, Symoniam, raſuram, nec non exceſſus, malitias, inſolentias, ſchandalizationes, iniuriationes, læſiones, malam vitam, inhoneſtatem morum, multipliciſſimam vitiorum, notabileſq; in ſanctis moribus, aliis virtutibus, ſacris ordinibus, divinarum officiorum obſequiis ac beneficalibus titulis, defectus perſonarum in ea exiſtentiam quam diutius & inceſſanter in mali ſtatu diſpoſitione, ornatu, regimine & gubernatione, bonorum ammiſtratione, fructuum exhibitione, divini cultus, ac inhoneſtæ & illicite ſtatutis & conſuetudinibus, & aliis quaſi per infinitum corruptibiliter in capite & in membris ſunt, & malignizata, ſchandalizata & dehoneſtata & iniuriata, & per minimum læſa & corrupta & vituperata, nec non etiam, qua olim locus paradifi & hortus deliciarum fuerat, & in ſpiritualibus ſanctius reſtorere, ac in temporalibus uberius habundare conſueverat, in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus paſſa fuerat, & patitur gravia detrimenta, ac in eiſ quaſi funditus collapsa & collabitur; quia niſi ei celeriter ſuccurratur, vix adjiciet, ut reſurgat. Et quia præmiſſa nobis innoſcunt & nota ſunt, non ſolum ex cottidiana clamorofa & publica fama indies coram clamante, officium noſtrum in civitate ac inceſſanter propulſante, & ad iudicium nos evocante; Verum etiam ex noſtra ſcientia ſenſibus corporeis per nos palpata, & per experimenta nobis clara & notoria ſunt: & inſuper ea non nobis ſolum, ſed etiam noſtris & vicinarum partium clero & populo clareſcunt. Et cum eccleſia quam plures nos, & ſucceſſive officiales noſtri, de mandato noſtro, in loco capitulari, ipſius Eccleſie canonicos, & ibi capitulariter tunc exiſtentes, & capitulum celebrantes monuimus & iuſſimus ac iuberi ac moneri fecerimus, ut præmiſſa eiſ in genere & in ſpecie tunc designata infra certos terminos tunc expreſſos corrigerent & emendarent: Ipſi tamen monitiones & iuſſiones huiusmodi adimplere non curarunt, neque curant. Ac videntes & experientes, quod propterea ipſa eccleſia paupercula ſummopere tam in eiſdem capite & membris viſitationem & inquisitionem & reformationem, punitionem & emendationem, relevationem, conſtitutionem, ac ulterius diſpoſitionem fructuoſe cuiuſcunque luna quam maxime neceſſario indigere diſcoſcatur; Tenore præſentium conſtituimus & ordinamus venerabiles viros, dominos, Magiſtrum Johannem Barborch decretorum doctorem, Hermannum Reynerdinck*



decanum Sancti Johannis, magistrum Johannem Kerckhof Canonicum Sancti Martini, Jordanum Groten Hamelensem Mindensis diocesis Ecclesiarum canonicos, ac Johannem Plettenborch, notarium publicum, Clericum Colonienfis diocesis, in nostros vicarios & officiales speciales & generales &c. Et sic fuit inchoatum tale factum, quod stetit per tres annos. Nam iste Johannes Kerckhof instigavit Wilbrandum ad hoc nam dixit, quod vellet sibi acquirere unam tuam de puro auro. Et sic stetit per tres annos, quod appellationes in Curia Romana fuerunt commissa. In eodem hyeme Conradus de Slon Canonicus ecclesie Mindensis & prapositus Sancti Martini fuit captus per Johannem Veleber olim Sacerdotem sed nunc apostatam ad instantiam Wilbrandi, & fuit traditose factum. Et hoc aparuit ex illo: Nam unus fuit infecutus, videlicet Cristianus Sporke; dixit in vulgari locutione: Vorknoke kint, ik en byns nicht. Et immediate liberatus & cum honore per civitatem Mindensem & Lubbicencensem ductus. Anno M CCCC XXIII Indictione II. V. die mensis Septembris per Wilbrandum cassatum est omne, quod factum seu executum est ex visitationis officio: Et Episcopus & capitulum facti sunt amici. Et Episcopus opposuit se tunc Decano Mefen; Nam Capitulum fuit contra Mefen; & hoc ideo: Nam ipse fecit aliquid ascribere ad bona decanatus sui. Nam scripsit, quod decanus deberet habere II. plaustra de avena pro portione sua decanatus: Et sic contendebant longo tempore cum ipso, sed tandem sunt compositi amicabiliter, sic quod decanus habet pro portione sua de avena duplicem portionem. Et cum Wilbrandus multa & mirabilia fecerat, quae enarrare essent valde prolixa, cum sedit, annis XXX. & tribus mensibus percussus est per apoplexiam, & obiit anno domini M CCCC XXXVII in vigilia nativitatis domini in castro Petershagen & sepultus ante altare sancti Petri.

## L.

**A**lbertus de Hoya quinquagesimus in ordine, fuit antea longe administrator ecclesie Mindensis & fuit tunc electus in Episcopum, & multa facta sunt tempore ipsius. Nam ipse quinquagesimus, sicut supra dictum est, quod significat tempus jubilationis & remissionis omnis servitutis & debitorum. Sed hoc est luce clarius. Nam castrum *Reyneberch* fuit primitus impignoratum pro XVIII<sup>c</sup> (\*) florenis, ex quibus fuit expedita confirmatio sua in curia Romana: Sed modo stat ultra quatuor millia. Anno M CCCC LI. feria sexta, ante festum ad vincula Petri, intravit civitatem Mindensem Venerandissimus pater *Nicolaus Cusa* Cardinalis Presbyter, & atraxit ibi moram ad undecim dies, & predicavit, & cantavit missam in summo, ipso die petri, & fuit magnus concursus: Et reformavit monasterium ad Sanctum Symeonem, & deposuit Abbatem Johannem Bennen, qui ultimus abbas in Insula extra muros. Nam tempore istius fuit translatum ad civitatem, Anno M CCCC... & posuit in Abbatem Johannem Casyn, oriundum de opido Grevenalveshagen, ex instinctu domini *Johannis Hagen* abbatis in Bursfeldia, & post recessum cardinalis non post multum temporis recesserunt a iugo domini, & rejecerunt predictum Abbatem, et elegerunt unum novum, de gremio suo Dominum Joh. Swarten. [ manu antiqui possessoris ad marginem adscribitur qui exiverat monasterium, propter reformationem, factus crucifer in Witerfen, sed post electionem revenit. ] Et sic steterunt in discordia monachi inter se, quod aliqui fuerunt incarcerati, scilicet unus Conradus Purtyck, post abbas effectus. Tandem fuerunt concordati quod abbas reveniebat, & affectus est honorem suum, & vixit valde austerus. Et sic anno domini M CCCC LXI ipso die Mariae Magdalene obiit in peste ydropisi nimis grossus. Sic quando exhalavit spiritum, statim tumulatus est; & eligerunt dominum Johannem Strichten, de monasterio Sancti Panthaleonis, qui fuit Colonia: & fuit hic tempore discordie Prior; Et fuit similiter repulsus. Et fuit post electus & consecratus in abbatem anno quo supra LXI dominica die ante festum sancti Mauriti, Et ista sufficiant.

[ Sequitur alia manu: ]

Idem Dominus *Albertus Episcopus Mindensis* in anno jubilao, cum post obitum Reverendi Domini *Henrici de Morfa Episcopi Monasteriensis & Administratoris Ecclesie Osnaburgensis*, ambæ, videlicet *Monasteriensis & Osnaburgensis* vacassent Ecclesie, vocatus fuit in Administratorem Ecclesie Osnaburgensis. Et licet certi praelati Ecclesiarum Osnaburgensis videlicet venerabilis Dominus *Lambertus de Benesse Prapositus Ecclesie S. Johannis Osnaburgensis*, & Officialis curie Mindensis missi fuissent ad sedem Apostolicam pro confirmatione; quia postulatio gratie est: papa pro ratione assumpsit, quia ante confirmationem se potestati ingessisset, & administrationi, eum renuit confirmare. Præfuit tamen Ecclesie Osnaburgensi fere ad quinquennium. Et tunc idem papa *Nicolaus Quintus* Ecclesiam Osnaburgensem contulit R. Domino *Rodolpho de Depholte Episcopo Trajettensi*, qui de anno Domini M CCCC L quinto, in vigilia anuntiationis gloriosissime virginis Mariae diem suum clausit extremum, nondum possessione Ecclesie Osnaburgensis affecta. Et sic iterum vacavit Ecclesia Osnaburgensis. Venerabile Capitulum Osnaburgense elegit nobilem Dominum *Conradum de Depholte* virtutibus & moribus redimitum, prapositum Ecclesie supradictæ in Episcopum & pastorem, quem papa confirmavit

(\*) Mader. XIVG.



firmavit & præposituram Trajectensem [ sic lego ] eidem in commendam propter tenuitatem Ecclesiæ Osnaburgensis gratiose dedit & concessit, qui laudabiliter eandem in pace circa ad viginti septem annos gubernavit, licet in principio sui introitus inter eundem & præfatum Dominum Albertum de Hoya guerra fuissent, unde orta erant incendia & rapina quæ per Nobilem Comitem Nicolaum de Tekeneborch amborum consanguineum, & alios erant pacatæ ad laudem Dei & utilitatem dioecesium ambarum.

[Ascribitur à possessore antiquo libri, (qui & initio operis de autore notaverat:) Iste Conradus non fuit Electus, prout supra narratur, sed sibi provisum fuit de ecclesia Osnaburgensi per Papam. Albertus ante dictus obiit XXV. April. media nocte, sepultus in summo, in medio Ecclesiæ Mindensis circa prædecessorem suum.]

LI.

**H**enicus de Schomborg LI. Episcopus Mindensis fuit electus an. M. cccc. lxxiii. die P. ante portam latinam per modum compromissi.]

[Idem antiquus possessor supra post verba: ET ISTA SUFFICIENT, margini hac ascripserat: Idem Johannes fuit secundus Abbas post Reformationem, & fuit sanctus homo, missus de Bursveldia ad Coloniam, ubi prius fuit Monachus. Et ante mortem eligit Jo. Segen (sic lego) in Abbatem vel resignavit, ne observantia periret. Post ille Purke electus, qui etiam in observantia mansit.]

XX.

CHRONICON  
EPISCOPORVM VERDENSIVM,

Ex MSto.

**A**nno incarnationis dominicæ DCC LXXXVI. Indictione XII. fundata & instituta est sedes huius Ecclesiæ Verdensis à glorioso domino Karolo Magno rege, anno regni eius XIX. præfidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Adriano papa primo, & confirmante sanctæ Moguntinæ sedis Lullone Archiepiscopo, quo interveniente ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ est subiecta, & commissa est beato Swiberto immortalis memoriæ & sanctæ conversationis viro apud deum & homines, cum suis terminis sic distinctis; videlicet in longitudine à Wirraha flumine usque quo perveniatur, ubi Penæ fluvius currit in mare barbarum; in latitudine à Luya, (a) quæ absorbetur ab Albya usque in ortum Ora & Kalevorde & diversis paludibus aquarumque decursibus plenius designatis; Acta sunt hæc Moguntia III. Idus Julii, Domino Karolo rege, Lullone Archiepiscopo eiusdem loci, Amelbario Treverensi Archiepiscopo. Hildebaldo Colonienfi archiepiscopo præsentibus, & [in] omnium, qui inibi aderant, præsentia sanctorum pontificum & sacerdotum feliciter Amen.

I.

**S**anctus Swibertus huius ecclesiæ episcopus primus. Hic, ut scribit Venerabilis Beda in gestis Anglorum, destinatus ab Anglia cum beato Willebrordo & decem sociis, adeptus est episcopatum Verdensem, ut gentibus, quæ Dominum gloriæ non noverant, divini verbi semina deinceps messim latura, secundum dispensatam sibi à Deo sapientiam, ut servus prudens & pervigil, amministraret, & ecclesiam sibi delegatam, tum novellam, plantaret atque rigaret, donec orationibus servorum suorum fidelium interpellatus Deus omnipotens incrementum daret. Ac cum tantis virtutibus demones inviderent expulsus à sede suâ, à nephariis & paganis secessit cum suis in partes Reni, cui uxor Pipini dedit locum, qui dicitur in listore, ubi Cellam construens receptor pauperum vitam piis & bonis operibus feliciter consummavit, & sic termini ecclesiæ Verdensis longe lateque à Domino Karolo designati propter ferocitatem barbarorum & absentiam pontificum plurimum sunt contracti, & postmodum crescente religione Christiana aliis ecclesiis fundatis videlicet Caminenfi, Lubicensi, Zwerinenfi, Raceburgensi sunt attributi.

II.

**S**pato secundus ecclesiæ episcopus natione Scotus Abbas Amarbaracensis (b) ecclesiæ, Vir vitæ laudabilis & probatæ obiit III. Kl. Aprilis. Hic quasi solo nomine tenuit cathedram  
D d 2 Verden-

(a) In Dipl. Verdensi: Lia.

(b) Amarbaracensi.